DE

PRAEPOSITIONUM USU APUD TACITUM.

SPECIMEN PRIMUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

SCRIPSIT

ADOLPHUS GREEF

RHENANUS.

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMIA HUTHIANA.

MDCCCLXIX.

Prooemium.

Proximis temporibus in Taciti scriptis investigandis sive quod ad meliorem textum efficiendum sive quod ad dictionem et sermonem accuratius definiendum attinet, multum viros doctos esse versatos non solum probant multi libelli, qui usque ad hoc tempus in publicum prodierunt, sed etiam maxime ex eis apparet, quae Woelfflinus, vir de Tacito optime meritus, in Philologo [1] summo studio congessit: hujus viri diligentia doctrinaque factum est, ut prorsus nova Tacitinos libros tractandi ratio aperta inductaque sit. Is enim eam viam primus monstravit, qua distincte, quomodo per singulas scriptoris aetates dicendi ratio per ipsum mutata fuerit, intellegi posset, et multis exemplis ipse luculentissime probavit certas in Taciti libris inde a Dialogo usque ad extremum Annalium librum dicendi leges deprehendi et constitui posse: ad quas conficiendas qui in posterum Tacitinis studiis sese dedituri essent, jure adhortatus est, ut accurate singulas quasque res tractarent omnesque locos, quibus usus comprobaretur, afferrent: hoc tandem modo verum justumque lexicon Taciteum emitti posse. Mihi jam diu de praepositionum disquisitione anquirenti primo quae in unaquaque maxime commemoratu digna viderentur, exponere in animo erat, sed hanc rationem

---

[1]) XXV, 92—134. XXVI, 92—166. XXVII, 113—149.

rejeci, cum ad illud consilium respiciens [1]) tum quia quae Boetticher in lexic. Tacit. et prolegomenis protulit, mihi satis probarunt non multum profici, si certae tantum praepositionum significationes eligerentur; ac nuperrime quoque Draeger nonnulla summa industria in libro, qui inscriptus est „Ueber Syntax und Stil des Tacitus" Leipzig 1868 magna ex parte quae apud editores huc illuc in notis obvia erant, jam congessit. Quibus causis commotus optimum fore putabam de ratione, quam Tacitus in uniuscujusque praepositionis usu secutus sit, agere, ita ut nihil quod mentione dignum esset silentio praetermitteretur, non solum omnia, quae apud hunc scriptorem inveniuntur, exempla praepositionum afferens [2]) et in ordines classesque redigens, sed etiam rationem, qua praepositiones collocaverit, quas inter se commutaverit, quas praeter alios scriptores maxime adamaverit, quibus significationibus in minoribus tantum scriptis, quibus non nisi in Historiis aut Annalibus usus sit et quae sunt similia explicans et demonstrans. De formis praepositionum, si res poscat, necessaria commemorabuntur. Sed rem ita institui, ut ad Tacitum fere solum respectum haberem, non quia melius mihi videbatur unumquemque scriptorem seorsim tractare, ut diversitas singulorum clarius eluceret, sed quia lexica hodie quoque sic comparata sunt, ut ea exempla exhibeant, quae summo studio et labore in Handii Tursellino collata sunt: hoc ad praepositiones quidem pertinere, qui

---

[1]) quam ob causam occasione oblata nonnullas praepositiones accurate adscribam.

[2]) Secundum Halmii editionem Lips. II 1858 et 57 versuum numeros quoque addidi non solum quo celerius locos revolvas, quia saepissime eos non exscripsi, sed etiam ut errores auferantur, quum saepius in uno capite eadem praepositio insit.

in hac re versatus est, non nescit. Quam ob causam in singulis ad hunc librum maxime lectores rejicio.

Est autem dignus Tacitus, cujus in praepositionibus usurpandis usus accuratius quam usque ad hoc tempus factum est, pertractetur, quippe qui quam maxime singularis et exquisitus sit. Cum multa apud ceteros omnes scriptores trita Tacitus rejecit, tum quae sua aetate oblitterata erant, revocavit et novas quasdam dictiones induxit in sermonem latinum. Sed rem ipsam videamus et pauca mihi afferre liceat.

Prorsus desunt apud Tacitum praepositiones: *subter* ablativo junctum, quum non nisi apud poetas et raro quidem inveniatur (cum accusativo conjunctum semel legitur, Ann. XII. 63. 8): *absque* (Quintiliano aliisque, sed raro, usitata cf. Hand Turs. I. 68.), *clam* (adverb. Hist. II. 8. 14.), *versus* cf. Ruperti et Kritz ad Germ. 1, 7. Forma, quae est *abs* non usus est Tacitus. cf. Dial. 25, 1 et 33, 1, ubi in ejus scriptis „a te“ legitur.

Omisit autem Tacitus quae in aliorum libris tanti voluminis frequentissime occurrunt: maxime e. g. apud alios scriptores in usu esse formulas „praeter modum, pr. morem, pr. opinionem“ et quae sunt similia, nemo nescit: apud Tacitum non inveniuntur uno loco in Hist. II. 29. 14 „praeter spem“ excepto. Atque etiam huic praepositioni vim illam comparativam (praeter ceteros etc.) non tribuit Tacitus. — Ab omnibus scriptoribus praepositio „*propter*“ sensu causali (= wegen) saepissime usurpatur: si ad Tacitum respicis, casu fortuitoque factum esse putemus, ut haec praepositio ab eo bis tantum admissa sit, in Dial. 21, 21 et Hist. I. 65, 3, ubi proxime accedit ad vim praepositionis „de“, quum sensus sit 'multae in vicem clades, crebrius infestiusque quam ut tantum de Nerone Galbaque ageretur', sicut locali sensu (= neben, nahe bei) in Annalibus inest

I. 50, 14. II. 41, 1 et postposita [1]) IV: 48, 1. XIV. 9, 6. XV. 47, 6. — Etiam *„prope“* semel invenitur in Hist. III. 21, 1 (cf. Liv. 6, 42, 10. 26, 48, 8) „prope seditionem ventum“, id quod eodem modo exprimitur per praepositionem *„juxta“* [2]) in A. VI. 13, 1 „juxta seditionem ventum.“ — Quo saepius autem Tacitus ut in aliis rebus sic in praepositionibus verba apud alios trita vitare studuit, eo magis id egit, ut quae in horum loco usurparet, ita eligeret, quo suo sermoni novum magisque sibi proprium colorem ac dignitatem adderet: neque dubitamus quin consilio factum sit, ut e. c. praeter unum locum in H. III. 32, 5, ubi *„praeter* [3]) insitam

---

[1]) cf. Woelfflin in Philol. XXV p. 116, qui anastrophes exempla pleraque collegit.

[2]) haec praepositio praeter locos allatos a Boetticher in lex. Tac. s. h. v. et a Woelfflin l. a. ut postposita (omisit XV. 47, 9) etiam invenitur (locali sensu) Germ. 17, 2. 33, 1. 42, 1. Hist. I. 41, 5. 44, 8. II. 49, 17. 55, 6. III. 71, 12. 74, 4. 82, 2 et 9. Ann. II. 49, 3. VI. 1, 5. cf. Draeger l. a. §. 100.

[3]) Locali sensu (an — vorüber) inest in Hist. IV. 30, 7 et Ann. II. 78, 6 translaticio α) = ausgenommen Agr. 12, 15. H. V. 8, 4. 10, 6. Ann. I. 13, 11. XIII. 19, 3. 45, 6. β) = abgesehen von Agr. 4, 10. 45, 17. G. 44, 6. H. I. 3, 7. V. 6, 5. Ann. II. 30, 1. 43, 15 (additum „quoque“). IV. 58, 3. XIII. 8, 5. 42, 9. XV. 12, 5. XVI. 21, 13. Quantum autem Tacitus paullatim pro magis vulgari *„praeter“* praepos. *„super“*, qui usus primum invenitur apud Livium, adamaverit, cognoscitur, si conspectui subjiciam praeter locos supra allatos Agr. 17, 10. G. 30, 12. 32, 3. 43, 18. H. I. 8, 4. 14, 5. 51, 19. II. 8, 6. 24, 17. 30, 12. 44, 13. III. 26, 11. 39, 6. 80, 9. IV. 38, 3. 58, 15. V. 26, 2. Ann. III. 3, 5. 22, 1. 63, 5. 67, 5. IV. 11, 1. 44, 2. 46, 4. 56, 15. 60, 14. 75, 3. In libr. V. VI. XI prorsus non inest „super“ (praeter XI. 16, 19); in libr. XII. 9, 6. 25, 6. 33, 1. XIII. 8, 18. 18, 7. 37, 1. 57, 3 (praeter 57, 8). XV. 35, 3. 50, 10. 58, 9. 72, 7. XVI. 10, 11 (praeter 35, 6) omnibus locis.

Quo simul intellegatur, scriptorem nostrum huic praepositioni

praedandi cupidinem" legitur, semper formulae instar dicat „*super* insitam ferociam" Hist. II. 94, 11. III. 45, 2, levitatem II. 101, 4, pervicaciam III. 77, 21, vanitatem IV. 55, 8. V. 23, 8: in Annalibus autem, ut est brevior dictio, tantum I. 59, 3 et similiter XII. 33, 1. XIII. 18, 7. — Ut aliud unum exemplum proferam: Draeger in editione [1]) monuit ad IV. 69 *pone* nisi apud poetas et apud veterrimos recentioresque scriptores non usurpari, sed et apud Ciceronem et Livium [2]) invenitur et quod ad Tacitum attinet, erat commemorandum, eum hac praepositione nondum in minoribus scriptis usum fuisse, in Historiarum autem libris II. 83, 9. III. 60, 4. 84, 26. IV. 82, 3 et Ann. II. 16, 4 non nisi „pone tergum", pro quo numquam „post tergum" scripsit, saepius „a tergo", atque extremo loco IV. 69, 3 demum „pone fores" dicere. Adverbium „pone" apud Tacitum non legitur.

Haec ut in prooemio sufficiant. Nonnullas tamen alias praepositiones hoc loco statim adjiciam, quum Draeger in libro, cujus supra mentionem feci, et duas

---

paullatim magis magisque fere solam praepositionis „praeter" vim tribuisse, reliquos praepositionis „super" (accusativo junctae) locos adscribam ex librorum ordine: in minoribus enim scriptis inferior est haec significatio, in Historiarum libro primo jam sola valet, in ceteris autem et Historiarum et Annalium libris multo praevalet: exempla tamen ipsa videas, quae hoc loco attulisse sufficiat quamquam nonnulla maxime insignia sunt, de quibus fusius disputetur: in Dial. omnino „super" non invenitur; in Agr. 29, 12. in Germ. 10, 3. 25, 10 et 11. 28, 21. 31, 5. 33, 6; in Hist. II. 22, 7. 45, 17. III. 19, 2. 27, 10. 28, 6. 48, 11. 77, 4. 84, 13. IV. 53, 12. 69, 3. V. 1, 4. 17, 2; in Ann. I. 56, 4. II. 6, 8. 83, 3. III. 12, 27. 14, 6. 74, 22. IV. 40, 26. 59, 8. XIV. 4, 15. 5, 5. 34, 11. —

1) „Annalen des Tacitus" I. Leipz. 1868.

2) Hand IV, 479.

sane commemoratu dignas silentio transmiserit: „*infra*“ cf. Boettich. in lex. Tac. (omisit Ann. XI. 20, 14), Hand III, 374 et „*secundum*“, non quidem propter locos, ubi vulgari sensu (= gemäss) positum est G. 10, 7. 26, 4. H. III. 70, 21. IV. 8, 2. 45, 2. Ann. IV. 20, 7. VI. 16, 17, sed potius respectu habito ad H. III. 7, 1 et Ann. IV. 43, 14 (= zu Gunsten), quo de usu Boettich. lex. Tac., lex. Forcell. et Freund. cf. praeterea Gellium 5, 10, 10 „si contra te lis data erit, mihi ex sententia debebitur; sin vero secundum te judicatum erit, merces mihi ex pacto debebitur“ et in duarum praepositionum, quae rarius apud Tacitum reperiuntur, usu illustrando plures praeter alias saepissime usurpatas locos addiderit, ita ut qui Taciti scripta non accuratius cognoverint, facile in opinionem vocari possint, saepius eis scriptorem usum esse: sed „*citra*“ (Draeger l. a. §. 87), quod sensu locali [1]) inest in Agr. 25, 17 et Ann. XII. 22, 14, invenitur tantum (= ohne) Agr. 10, 11. 35, 6. cf. Philol. XXVI, 108. Hand II, 83. II, 76, sicut „*cis*“ [1]) (= diesseit) Ann. I. 56, 2 et XI. 19, 15, quum corrupta sit codicum lectio XI. 30, 6 et XII. 56, 4 atque praepositio „*circa*“ (Draeger l. a. §. 86), quae vi locali H. I. 70, 3. III. 63, 4. 69, 11. V. 7, 10 dicitur, etiam (= in Betreff) Dial. 22, 12. 28, 12. Ann. I. 65, 19 (cf. Verg. Aen. IV, 400), ut „*circum*“ locali tantum sensu usurpatur H. II. 55, 6. V. 22, 11. Ann. II. 64, 3. Rarius quoque quam fortasse exspectaveris, praepositionem „*prae*“ apud Tacitum invenies: Dial. 15, 5 ex Halmii

---

[1]) saepius oppositum „*trans*“, cujus locos attulisse, quum nihil mentione dignum habeat, sufficit: α) Agr. 25, 2. G. 29, 15. 44, 1. 45, 1. H. II. 39, 12. 44, 20. III. 34, 4. IV. 12, 6. Ann. II. 11, 1. XII. 56, 4 (cod. „cis“). β) H. II. 6, 6. V. 9, 7. 23, 13. Ann. II. 19, 3. XV. 8, 3. 17, 12. cf. Woelfflin Philol. XXV, 103.

et 18, 18 e Groslotii certa conjectura; „prae se ferre“ Agr. 43, 13. G. 39, 7 „vehens“ Ann. XIV. 35, 1. „prae fletu“ XV. 16, 15. Denique afferamus, praepositionem „*tenus*“ praeter sex locos, quos Boettich. in lex. Tac. congessit (non recte XIII, 41), H. II. 81, 9. Ann. I. 70, 12. III. 5, 13 tantum a Tacito usurpatam esse. cf. Draeger l. a. §. 99.

Haec habeo, quae jam hoc loco praemittam. De ceteris praepositionibus, quum accuratius tractandae sint, suo loco disputabo. In eis autem, quae sequuntur, duas praepositiones, quae sunt „apud“ et „adversus“ inquirere et collustrare mihi proposui, quum quaestio de earum usu, quamquam ab editoribus aliisque viris doctis quaedam allata sunt, non jam ad certum finem perducta sit.

Ea vero, quae ad absolvendum meum propositum adhuc restant, quum ex magna parte litteris consignata sint, proximis temporibus me in medium prolaturum esse spero atque confido.

Apud.

In primis sex Annalium libris (et XV. 16, 12) variâ hanc praepositionem scribendi ratio apud recentiores Taciti editores (Ritter, Orelli, Nipperdey) invenitur, qui Medicei primi codicis scripturam secuti modo apu*d* modo apu*t* in libris receperunt. De ea re quid statuendum sit, num Tacitum ipsum tantum variasse putemus ut e. g. scripserit in Ann. II. 33, 9 „aliam apu*d* Fabricios, aliam apu*t* Scipiones pecuniam", non est cur hoc loco disputem: eademque ratione supersedere mihi videor aliquid afferre de praepositionis cum verbis conjuncta scriptione ut „aputquos" et quae sunt similia [1]. Certa lex quidem in eis non perspicitur: talia magna ex parte ad eos, qui exemplaria fecerunt, magis referenda quam Tacito ipsi videntur vindicanda esse.

De eo usu, quo haec praepositio cum aliis verbis variatur, nonnulla sunt commemoranda. Atque primum loci inveniuntur, quibus „apud" cum aliis praepositionibus (Draeger „Syntax u. Stil §. 104) commutatur. In minoribus scriptis et Historiis, ubi in universum enuntiatorum membra magis inter se accurate respondent quam in Annalibus (Roth Agric. excurs. XXXIII. p. 277. Zernial 'selecta quaedam capita ex genetivi usu Taciteo' p. 14) pauca tantum exempla exstant: Dial. 5, 30 „sive

---

1) cf. Nipperd. ad Ann. I, 15.

in senatu, sive *apud* principem" 41, 14. Germ. 13, 15 „nec solum *in* sua gente cuique, sed *apud* finitimas quoque civitates id nomen." 38, 7 „*in* aliis gentibus — *apud* Suebos." — Hist. IV. 11, 1 „discordia *inter* patres, ira *apud* victos, nulla *in* victoribus auctoritas." V. 17, 12 *inter* majores — *apud* posteros. — Locis, qui sunt in H. II. 26, 16 „*Apud paucos* ea ducis ratio probata, *in volgus* adverso rumore fuit" et Ann. VI. 22, 6, *in* et *apud* sibi respondent, ut apud Ciceronem Verr. IV, 11 „ordinis auctoritati, quae nisi gravis erit *apud socios*, *in exteras nationes*, ubi erit imperii nomen et dignitas?" In Annalibus variantur *inter* et *apud* III. 40, 3. VI. 50, 15. XI. 10, 16. XII. 28, 8 „*apud* posteros, *in* quis carminum gloria praecellit." I. 47, 4 „validior *per* Germaniam exercitus, propior *apud* (= „in" ablativo junctum) Pannoniam." — V. 10, 3 *apud* (= „in") Cycladas insulas, mox *in* continenti XIV. 14, 6. XV. 52, 2 et 6. 72, 7. 74, 3. Variationem quoque agnosces XI. 20, 4 contemptio *ex* barbaris, ludibrium *apud* socios.

Deinde „apud" casu mutatur (Draeger l. a. §. 105) Germ. 32, 4 apud Chattos—Tencteris. Hist. V. 4, 4. 13, 21. 15, 15.

Quod ad unum hujus praepositionis locum attinet, qui legitur in H. I. 4, 7 „finis Neronis — varios motus animorum non modo in urbe apud patres aut populum aut urbanum militem, sed omnes legiones ducesque conciverat" plerique homines docti ellipsin statuendam esse putarunt, quum eis praepositio „apud" in altero enuntiati membro post v. „sed" supplenda esse videretur. Quae tamen ellipsis, alias a Taciti sermone non aliena [1]),

[1]) cf. Nipperd. ad II, 68 (Draeger l. a. §. 103), qui ex Historiis et Annalibus locos collegit. XIII. 53, 10. Hujus autem ellipseos exemplum jam in Dialogo exstat 28, 15 „suus cuique

in hunc locum non quadrat, quia verba per se spectata bonum sensum fundunt neque sensum verbis aliunde supplendis invertere necesse est. Si enim praepositionem „apud" supplemus, supplendum quoque est propter verborum concinnitatem „in provinciis" (non „in urbe", quod primo obtutu, si ellipsin accipis, videri possit), quae verba ipsa jam insunt in „legiones ducesque." Est vero verbum „conciverat" duplici modo dictum, quum in priori membro cum „varios motus" et in altero cum „legiones ducesque" conjunctum sit. Hac variatione etiam gravior sententiarum oppositio efficitur.

Forma *anaphorae*, quam studio quodam in quibusdam praepositionibus ut „in, sine, per" (cf. Weinkauff de Tacito dialogi, qui de Oratoribus inscribitur, auctore 1857 p. 30) Tacitus usus est, si ad praepositionem „apud" respicis, rarior invenitur: Dial. 30, 15 „se *apud* Q. Mucium jus civile didicisse, *apud* Philonem Academicum, *apud* Diodotum Stoicum omnes philosophiae partes penitus hausisse." Germ. 10, 16. Hist. I. 10, 9. H. IV. 58, 19.

Anastrophes pauca tantum in hac praepositione exempla exstant. Transpositio illa, quae eo efficitur, ut inter attributum et substantivum praepositio ponatur, ab omnibus scriptoribus usitata non nisi in Annalibus legitur I. 45, 3. III. 45, 7. XV. 60, 18 „sexagesimum apud lapidem." II. 88, 15 „barbaras apud gentes." XIII. 57, 7. III. 26, 7 „multosque apud popu-

---

filius non *in* cella emptae nutricis, sed gremio ac sinu matris educabatur." Compluribus locis haec ellipsis invenitur apud Corn. Nepotem VII. 1, 3. 2, 2. 3, 3. IX. 5, 2. XII. 3, 4. XXV. 18, 4 et apud Quintilianum, quos congessit Bonnell proleg. ad lex. Quint. p. XXXV. cf. Beier ad Cic. Lael. 21 p. 119, qui hanc ellipsin e Graecorum sermone, ubi satis frequens est (Krueger gram. gr. §. 68. 9), explicat.

los": ne cogites, scriptorem hoc loco transpositione usum esse, quod particulam „que" huic praepositioni adjungere noluisset, quum „apudque" inveniatur Ann. I. 7, 6. III. 59, 10 „gentile apud solum." XI. 8, 17. XIV. 14, 6 „non modo Graecis in urbibus, sed Romana apud templa." cf. Woelfflin Philol. XXVII. p. 129.

Cetera hujus praepositionis genera anastrophes rariora apud omnes posterioris aetatis scriptores esse jam Handius I, 416 (Varro L. L. 6, 78 p. 104, Mueller „apud fabros, fictores, item alios apud") monuit: apud Tacitum tres reperiuntur loci in Ann. IV. 5, 1 „Misenum apud et Ravennam." IV. 43, 16 „montem apud Erycum." VI. 31, 20 „ripam apud Euphratis" (XV. 16, 12). cf. Nipp. ad ann. II, 60. III, 72. Draeger l. a. §. 225.

De significatione.

Praepositio „apud" *semper* habet *localem* sensum. Primum conjungitur cum *locorum* nominibus [1]) significatque apud Tacitum non solum vicinitatem et propinquitatem, quod nos dicimus „bei, in der Nähe", sed etiam hac praepositione exprimitur rem vel personam aliquam in aliquo loco esse, versari, ita ut „apud" idem valeat ac „*in*" ablativo junctum: quam vim neque Ciceronis neque Livii neque Sallustii temporibus in librorum sermone usitatam fuisse satis est notum; sed a Tacito saepissime usurpatur. Quomodo hic usus exstiterit,

---

1) Locorum nomina anteposui personis, ut apud alias praepositiones semper fit. Quo jure enim Handius (I. p. 406) contra Priscianum 14 (3, 32) contendit proprie „apud" de loco personae dici, equidem non video. Nullam ad suam sententiam comprobandam attulit causam et sane nihil refert, quod exempla, ubi „apud" locorum nominibus junctum est, pauciora exstant.

apud homines doctos non ab omni parte constat. Sane afferri potest, quod Heraeus ad Hist. I, 49 monuit, cujus verba ipsa hic adponam: „Ganz gewoehnlich steht schon in aelterer Zeit „apud“ bei Ortsnamen von dem Aufenthalt roemischer Provinzialstatthalter, die mit Gefolge reisten und ihr Nachtquartier (castra) vor einem Orte aufschlugen, waehrend sie selbst fuer ihre Person wohl auch im Orte Herberge fanden.“ Quod autem idem hisce verbis praemisit „Zunaechst mag gerade dieser Sprachgebrauch (apud = in) aus dem roemischen Kanzleistil in die hoehere Schriftsprache eingedrungen sein“ non satis comprobari neque intellegi potest, quum exempla documento prorsus desint. Attamen rectum mihi videtur sensisse Rothius, qui (cf. Agric. excurs. XXVI p. 240) hunc usum e communi vitae sermone receptum esse opinatus est. Apud Nonium enim (12, 19) legitur „error consuetudinis *apud* pro *in* utitur; itaque vitiose dicimus, quum nos *in* foro fuisse dicamus, *apud* forum fuisse, quum *apud juxta* significet.“ Haec dicendi ratio nonnullis locis (Hand I, 414. Nipperd. ad Ann. I. 5 [1])) jam antiquis temporibus apud Plautum et Terentium, qui in fabulis, ut satis notum, vitae quotidianae sermonem imitati sunt, invenitur. Quae dictio a vulgo usurpata ea latinitatis aetate, quae aurea vocatur, quum qui „apud“ eodem sensu utitur atque „in“ parum accurate loquatur eaque notio quoque a propria hujus praepositionis vi abhorreat, nondum in librorum orationem transiit; ac tamen hujus usus vestigia reperiuntur ut apud Ciceronem Verr. IV. 22, 48 „is cenam isti dabat apud villam in Tyndaritano“ et apud Li-

---

[1]) Addas Ter. Ad. III. 3, 50 „apud forum“ = „in foro“, ut *semper* apud Terentium. Uno loco tantum idem significans „ad forum“ Phorm. IV. 2, 8. Holtze synt. prisc. script. Lat. I. p. 212. 201.

vium [1]) 42. 12, 1 „apud Graeciae atque Asiae civitates vereri majestatem ejus omnes." Tacitus vero in aliis rebus nova proferendi studiosus, hac quoque in re, ut singularem et novum in scribendi genere sese praestaret, non solum quae apud veteres scriptores huc illuc inveniebantur· revocavit atque ita quidem ut ad vulgarem sermonem, qui tunc valebat, sese accommodaret, sed etiam in universum maximeque hanc praepositionem cum urbium, insularum, terrarum nominibus conjungendo hunc usum ampliorem reddidit, quamquam infitiari non possumus hac amplificatione factum esse, ut sermo latinus in majorem depravationem vocaretur. —

Eam autem hunc usum explicandi viam, quam Draeger „Synt. u. Stil" §. 82 iniit, cujus verba haec sunt „apud statt in c. Abl. bei Laender und *Staedte*namen nach Analogie der Voelkernamen" me quidem non intellegere profiteor, quamquam non negaverim, in *terrarum* nominibus cum praepositione „apud" conjunctis hanc analogiam aliquam vim habuisse, praesertim quum vice versa scriptor noster saepe populorum nominibus utatur pro terris. Sed utcunque res sese habet, id constat inde a Taciti temporibus hunc usum, quamquam multo rarior apud posteriores scriptores exstat, in librorum sermone mansisse [2]). cf. Hand I. p. 415. Baumgarten-Crusius clav. Suet. p. 148.

---

[1]) Non recte Handium I, 414 attulisse Liv. 28. 29. 12 „apud Sucronem" demonstrant verba in c. 24, 5 „civilis alius furor in castris ad Sucronem ortus."

[2]) Forsitan quispiam miratus sit, quod e Plinii, aequalis et amici Taciti, scriptis nullum hujus usus exemplum ab hominibus recentioribus afferatur. Sane non mirum. Desunt enim et in universum exempla apud Plinium cf. p. 20. et, si exempla exstarent, hic praepositionis „apud" usus omnino inveniri non po-

In singulis igitur hujus praepositionis cum loci nomine conjunctae generibus duae significationes sunt discernendae, altera quae nostro „bei, in der Nähe“, altera quae nostro „in“ respondet.

Sed priusquam ad ipsos locos tractandos accedamus, animadvertendum est praepositionem „apud“ locorum nominibus junctam non inveniri in minoribus scriptis, raro in Historiis (in quibus l. I. ter inest, quum tres et viginti loci exstant, ubi personis „apud“ additum est, l. II. quinquies, III. quinquies, IV. undecies, (V. bis)), saepissime in Annalibus (I. quaterdecies, II. quaterdecies, III. decies, IV. sedecies, quum sedecim quoque loci reperiuntur, ubi „apud“ personis adjectum est etc.).

Conjungitur praepositio „apud“ a) cum substantivis, quibus loci notio inest. α) Apud ceteros scriptores latinos ad designandam locorum vicinitatem praepositionem „ad“ persaepe usurpari satis notum [1]). Quantopere autem Tacitus — et id quidem (cf. b α) sine dubio non forte, sed consilio — praepositionem „apud“ adamaverit, inde satis apparet, quod in suis scriptis praepositionem „ad“ hisce tantum locis [2]) admisit: Hist. I. 87, 5

---

tuit, quod facile e tempore, quo hujus usus proprietas a Tacito in sermonem latinum inducta est, intellegitur.

[1]) De discrimine, quod proprie inter „ad“ et „apud“ exstat, neque est cur hoc loco accuratius agam et sufficit rejicere ad ea, quae Klotzius in lex. s. v. „apud“ protulit, quum is ex ipsis exemplis, quae ab Handio I, 90 allata sunt, jam satis docuerit recte de hac re sensisse Ruddimannum (inst. gr. lat. II. p. 282), quum dicat „*ad* proprie *juxta* sive *in loco proximo*, *apud* vero *circa* vel *prope* significare“ atque Handium, quum „prorsus contrarium esse harum particularum discrimen“ opinatus sit in errore versari.

[2]) De locis, ut e. g. H. II, 97 „certaturi ad obsequium“,

„caesorum ad pontem Mulvium.“ Hist. II. 87, 3. III. 6, 12. 50, 14 et in formula illa (cf. Hand I. p. 92) „ad duodecumum lapidem a Cremona (Bedriaco, urbe)“, quae in Hist. lib. II. 24, 7. 45, 1. 88, 4. III. 18, 1. IV. 11, 15. 60, 11 legitur (cf. Histor. II. 39, 7. III. 15, 14. 35, 2), cujus in locum in Annalibus autem „sexagesimum *apud* lapidem“ I. 45, 3. III. 45, 7. XV. 60, 18 cessit, quod apud ceteros scriptores, si recte observavit Ruddimannus instit. gramm. Lat. II. 287, non reperitur. In Annalibus vero uno loco tantum et in formula quidem (cf. Hand I. p. 91. Corn. Nepot. 18, 1, 5) „ad“ inest III. 33, 13 „habere ad manum“: quam ob causam nullo modo dubitandum est, quin Ann. XII. 31, 9 ex Heinsii emendatione scribendum sit „cunctaque castris Avonam *inter* [1]) et Sabrinam fluvios cohibere parat“ pro „*ad* Avonam et . . ., quod plerique editores ex Bipontinorum conjectura receperunt.

Sed vis illa praepositionis „apud“, quae est „bei, in der Nähe“ in Historiis sola valet, Hist. I. 1, 5 „postquam bellatum apud Actium“ (cf. bα.) 72, 19 „accepto apud Sinuessanas aquas — nuntio“ III. 51, 8 „apud Janiculum“ Zernial (l. a. p. 95) haec verba pro „in Janiculo“ accepit: quod quo jure fecerit, ego quidem investigare non potui. III. 76, 1 „positis apud Feroniam castris.“ Hist. II. 15, 3 „trepidatum apud naves“ III. 35, 3 „vagos Vitellianos, sua quemque apud signa, componunt“ jeden bei, unter seiner Fahne. IV. 35, 7 = 77, 14 „rarum apud signa militem.“ Ann. XV. 16, 5. Hist. IV. 59, 14 „quantum militum apud superiorem Rheni

---

ubi „ad“ nostro „in Betreff, wenn es ankam auf —“ respondet, cf. Heraeum ad hunc locum. Pabst eclog. Tacit. p. 329.

1) De praepositionis „inter“ anastrophe cf. Woelfflin in Philol. XXV, 116: omisit H. IV. 77, 3. A. VI. 33, 12.

ripam" = Ann. I. 31, 4. II. 88, 7. VI. 31, 20. XV. 16, 12. Ann. I. 3, 21 apud Rhenum. I. 60, 8 „apud praedictum amnem convenere." I. 17, 8 „apud vexillum tendentes" sicut similiter dicitur „sub vexillis teneri" I. 17, 19 sub vexillo haberi 26, 4, retinere 36, 12. 39, 3. I. 69, 7 „stetisse apud principium pontis." II. 6, 14 „apud principium agri Batavi dividitur Rhenus." 24, 5 „pars navium haustae sunt, plures apud insulas longius sitas ejectae." 49, 5 „dedicavit — Jano templum, quod apud forum holitorium C. Duilius struxerat" non recte Wölfflinus, qui idem ac „*in* foro" esse putat. cf. Becker röm. Alterth. I. 603. 259. IV. 5, 20 „apud idonea provinciarum sociae *triremes* alaeque et auxilia cohortium", 25, 1 apud castellum, 73, 22 lucum. VI. 14, 8 repertus apud fretum Siciliae. 50, 4 „apud promunturium Miseni consedit in villa" am *Cap* Misenum. 22, 8. XI. 9, 12. XII. 17, 10 apud effigiem Caesaris procubuit = XV. 29, 6. XIII. 23, 5 exercere apud aerarium sectiones. 31, 3 „molem amphitheatri apud campum Martis Caesar exstruxerat." XIV. 15, 6 „exstructa apud nemus conventicula." 22, 8 „apud Simbruina stagna." XV. 44, 4 „propitiata Juno primum in Capitolio, deinde apud proximum mare." XVI. 15, 1 „Ostorius longinquis in agris apud finem Ligurum erat." XIV. 12, 2 „decernuntur supplicationes apud omnia pulvinaria", quibus in verbis Cicero (cf. Catil. 3, 10, 23. Phil. 14, 14, 37) et Livius (cf. 22, 1, 15. 27, 4, 15) ferme praepositione „ad" usi sunt, cujus loco rarius apud Livium „circa" (27, 11, 6. 30, 21, 10) invenitur.

β) Altera significatio, qua „apud" eandem vim habet atque „in", non invenitur nisi in Annalibus [1]:

---

[1]) cf. Woelfflin l. a. p. 117, qui plerosque hujus usus locos jam attulit.

II. 69, 2 quae apud legiones aut *urbes* jusserat. XI. 16, 3 uno reliquo stirpis regiae, qui *apud urbem* habebatur = XIV. 26, 8 = XV. 52, 6 „in Rom.“ IV. 14, 8 „(cives Romani) apud cunctas Asiae *insulas* et *urbes* trucidarentur“ auf allen Inseln und in allen Städten Asiens. IV. 15, 6. XII. 7, 4 apud forum = in foro. II. 24, 9 apud scopulos et prominentes oras. II. 57, 4 „Cyrri demum apud hiberna — legionis convenere“; III. 46, 12 „frontem pedites invasere: nec cunctatum apud latera.“ 59, 10 „auspicia saltem gentile apud solum inciperet“ auf vaterländischem Boden. 72, 12 theatrum Pompei. IV. 27, 3 oppida (cf. bβ). IV. 43, 16 = XII. 13, 8 apud montem = in monte. IV. 48, 2 „Translata castra hostem propter, relictis apud priora munimenta Thraecibus“ *in* den vorigen Verschanzungen. IV. 64, 13 = XV. 53, 13 apud aedem = in aede. XI. 8, 17 „Bactrianos apud campos castra contulit“: insolentius dictum, quum castra conferantur in aliquem locum, sed erant castra in Bactr. campis. cf. Bach. ad Ann. I, 39. — XI. 19, 4 „natio Frisiorum consedit apud agros a Corbulone descriptos.“ XII. 8, 4 „piacula apud lucum Dianae per pontifices danda.“ XII. 69, 10 = XIII. 51, 10 apud provincias. XIV. 14, 6 „non modo Graecis *in* urbibus, sed Romana *apud* templa.“ XV. 32, 3 et 74, 2 „Soli est vetus aedes *apud circum*, *in* quo facinus parabatur.“ XV. 40, 1 „apud imas Esquilias.“ XV. 72, 8 „Nero Tigellinum et Nervam ita extollens, ut super triumphales *in* foro imagines *apud* Palatium effigies eorum sisteret.“ XV. 74, 8 „pugionem apud Capitolium sacravit.“ XVI. 6, 8 „laudare apud rostra“ i. e. „in rostris“ vel potius, ut ferme dicitur „pro rostris“, quod legitur H. I. 17, 6. Ann. III. 5, 6. 76, 7. IV. 12, 1. V. 1, 15. — Haec exempla si consideraverimus, versimillime ad hunc usum referemus locum in Ann. I. 61, 13

„Lucis propinquis barbarae arae, apud quas tribunos mactaverant“ (ut Wölfflinus quoque vertit „auf welchen“), sed sine ullo dubio huc pertinet locus in lib. I. 64, 7 „Cheruscis sueta apud paludes proelia“ „in, auf sumpfigem Terrain“, quum sensus, qui in verbis hujus loci inest, hanc vim flagitet.

b) Conjungitur praepositio „apud“ cum *urbium nominibus:* *α*) ea significatione, quae est „bei, in der Nähe.“ Haec vulgaris notio in Historiis tribus locis exceptis sola valet, quum tamen in Annalibus multo rarior prae illa, quam secundo loco commemorabimus, invenitur. Hujus praepositionis loco etiam „ad“ usurpari nemo nescit. In usurpandis autem praepositionibus „ad“ et „apud“ scriptores historici quidem sibi constant hanc vel illam praeferendo. Quam rem quoniam nemo tractavit neque Handius (I. 90. 413) quidem, qui in eis, quae jam Ruddimannus (instit. gramm. Lat. II, 282) attulit „ad“ et „apud“ promiscue accipi, acquievit, liceat mihi de hoc usu aliquid accuratius afferre.

Quod ad *Ciceronem* attinet, ut uno verbo tangam, quo quantum differat a ceteris scriptoribus intellegatur, sane non solum eis locis, qui ad usum, quem in initio ex adnotatione Heraei ad H. I, 49 commemoravi (cf. p. 14), spectant, praepositio „apud“ invenitur — verumtamen ad epistolarum tantum dictionem hunc praepositionis „apud“ usum pertinere suspicor cf. ad fam. XVI. 3, 1. XV. 4, 8 et 9 ad Attic. V. 20, 3 etc., quum tamen „ad“ quoque eodem sensu compluribus locis legitur — sed etiam nonnullis aliis locis cf. offic. III. 30, 109 ad fam. V. 12, 5. XV. 4, 2 etc. „apud“ ad significandam vicinitatem conjungitur cum urbium nominibus pro magis usitata praepositione „ad“, sicut de imperatore, cui Romam cum exercitu intrare non licuit, semper, ut satis notum, „*ad* urbem“ dicitur: cf. Caes. B. G. VI. 1, 2. Cic. Verr. I. 15, 45

ad fam. III. 8, 1 etc. A vario Ciceronis usu longe recesserunt rerum historicarum scriptores, quum apud *Caesarem* semper „ad“ reperiatur excepto uno loco in B. G. VII. 75, 1 „Dum haec apud Alesiam geruntur“ et uno in B. C. III. 57, 1 „Haec cum in Achaia atque apud Dyrrachium gererentur“, sicut „apud Corfinium“ in epistula ad Oppium inest, quae legitur inter Cicer. ad Attic. IX, 7 C §. 1. *Livius* quoque uno exemplo in l. XXVIII. 29, 12 „hunc finem exitumque seditio militum coepta apud Sucronem habuit“ excepto, quum nomen, quod est Sucro, hoc loco de flumine accipiendum esse vix credibile sit (cf. p. 15), semper „ad“ usurpavit, cujus in locum, ut Freundius (cf. lex. s. v. „ad“) monuit, ab eo semel (XXIII. 43, 4) genetivus est admissus, quem uno loco etiam apud *Cornelium Nepotem* XXIII. 4, 1 „Clastidi“ pro „apud Clastidium“ (Bremi aliique scripserunt „de Clastidio“) invenimus, quod autem verbis „apud Padum“, quae statim sequuntur, excusatur: omnibus ceteris locis tamen praepositione „apud“ usus est. Etiam *Sallustius* (cf. Dietsch ad Jug. 20, 1. 57, 1), ut jam Fabrius observavit, semper usurpavit „apud“, quum „ad“ apud eum directionem tantum ad aliquod oppidum versus indicet: quem usum apud Nepotem non habes. Quod ad *Tacitum* attinet, solam praepositionem „apud“ ad significandam vicinitatem urbium nominibus adjungit, sed ad directionem ad aliquam urbem versus exprimendam nusquam in ejus scriptis praepositio „ad“ invenitur, nisi fortasse quispiam huc trahit locum in Hist. lib. III. 79, 1 „ad Saxa rubra venit“, sicut quoque, quum antecedat verbum „oppidum“, huc non pertinet unus locus in Ann. lib. III. 1, 7 „ruere ad oppidum Brundisium.“ Quid *Plinius* scripturus fuerit, constitui non potest, quum et in epistulis et in Panegyrico exempla desint (cf. II. 8, 1 = IX. 7, 1 ad Traj. LXXXI, 1 paneg. 35). Apud *Suetonium* autem quinque

locis (Div. Jul. 25. 36. 68. Aug. 96. Ner. 2) exceptis semper legitur „apud“; Div. Jul. 68. 69. 75. Aug. 16. 77. 94. Tib. 6. 14. 40. Calig. 31. Oth. 9. Vesp. 7, cf. Aug. 93. Tit. 5, sicut ad directionem in oppidum versus exprimendam omnibus locis solus accusativus invenitur excepto uno, qui inest in Tib. c. 4. Fortasse mireris, quod *Vellejum Paterculum*, primum argenteae latinitatis auctorem, inter scriptores modo allatos non recepi: consilio feci. Is enim minus in praepositiones „ad“ I. 9, 3. II. 26, 2. 28, 1 et „apud“ I. 9, 4. II. 26, 1. 70, 1. 79, 4 animum convertens eam habet proprietatem, ut ad significandam vicinitatem in urbium nominibus plerumque praepositione „circa“ studio quodam utatur eadem fere notione atque „ad“ et „apud“, quod inter alios demonstrat locus II. 28, 1 „exercitum fuderant duo Servilii apud Clusium, Metellus Pius apud Faventiam, M. Lucullus circa Fidentiam.“ II. 4, 2. 12, 4. 18, 2. 20, 4. 21, 1. 23, 3. 25, 2. 47, 1 et 4. 61, 4. 68, 1. 69, 3. 76, 2 et 3. 77, 1. 79, 3 et 4. 102, 3 [1]. Sed revertamur ad Tacitum.

α) Primus locus ubi „apud“ urbis nomini junctum „bei, in der Nähe“ significat, est in H. II. 17, 8 „capta — cohors apud Cremonam“, nam quod attinet ad H. I. 1, 5 „postquam bellatum apud Actium atque omnem potentiam ad unum conferri pacis interfuit“ vocabulum „Actium“ non recte a Woelfflino (Philol. XXV. p. 117) ut nomen urbis est acceptum; est vero, quum urbs demum post victoriam reportatam ab Augusto condita sit, promontorium, cf. Suet. Aug. 17. 18. 96. Sine dubio autem errat Zernial (l. a. p. 94) „apud Cremonam“ hoc loco et

---

[1]) Accuratius locos adscripsi, quod Vellejus omnium in hoc usu frequentissimus ab Handio (I, 61) parum est observatus. cf. praeterea I. 3, 1. II. 19, 2 et 4. 21, 1. 32, 4. cf. Walch emend. Livian. p. 25.

II. 57, 7 „apud Bedriacum", III. 54, 1 „Vitellius fractis 'apud Cremonam' rebus nuntios cladis occultans", 54, 14 „apud Cremonam" genetivi loco positum esse ratus. Dicitur potius de pugnis, quae *apud* illas urbes sunt commissae, et quod minus accurate „Cremonae" pro „apud Cremonam", H. III. 46, 14 legitur, sane nullam habet offensionem. H. II. 30, 1 „Munientibus castra apud Ticinum": hoc loco Ticinum pro nomine urbis, non pro flumine, ut primo obtutu videri possit, habendum esse, indicare videntur verba in c. 27, 5 „jam enim Ticinum venerat." H. II. 50, 9 „avem apud Regium Lepidum celebri luco consedisse" i. e. luco frequenti prope Regium Lepidum sito. Huc quoque pertinet locus in H. III. 79, 10 „apud Narniam dediti" Zernial pro „Narniae" dictum esse putat et Woelfflinus (l. a.) „apud Narniam" inquit „wohl = in, da wer capituliert *gewiss* hinter den Mauern der Stadt Schutz gesucht hat." Si causam, quam vir ille doctus attulit, quae tamen minime firma esse mihi quidem videtur, omittis, Tacitus ipse rem aliter sese habere docet, quum narret in H. III, 58 init.: a Vitellio partem copiarum Narniae relictam esse et in c. 63 Vitellianum militem transiturum in partes in *subjectos Narniae campos* descendisse; ibique se dederunt milites, ut ex eis quoque, quae statim in c. 63 sequuntur, satis elucet: „Flavianus exercitus — — jussi." — H. IV. 46, 9 „Vitelliani quos apud Bovillas in deditionem acceptos memoravimus" de ea re cf. IV, 2. — H. IV. 58, 19 „apud Geldubam, apud Vetera." 62, 4 et V. 14, 2 „apud Vetera." V. 21, 1 „Plus discriminis apud Grinnes Vadamque." In Annalium libris hic usus multo rarior: III. 9, 1 „relictis apud Anconam navibus." IV. 5, 1 „Italiam utroque mari duae classes, Misenum apud et Ravennam, praesidebant." 62, 3 „coepto apud Fidenam amphitheatro." Ex narrationis serie patet, in vici-

nitate urbis exstructum fuisse amphitheatrum: Boettich. L. T. p. 65. XI. 23, 16 apud Alesiam cf. Caes. B. G. 68 sqq. XII. 12, 8 „positisque castris apud Zeugma." XIV. 3, 13 = 62, 6 „Anicetus, classi apud Misenum praefectus." XV. 26, 9 „auxilia regum in unum conducta apud Melitenen." Zernial sine ulla causa pro ablativo loci „apud M." dictum accipit. 51, 14 „Nero multo apud Puteolos et Misenum maris usu laetabatur."

β) Altera significatio (= in) primum invenitur in H. IV. 35, 16 „legionibus apud Vetera obsessis." 58, 14 „Tolerant cum maxime inopiam obsidiumque apud Vetera legiones" die dort eingeschlossenen Legionen. H. IV. 77, 13 „captarum apud Novaesium Bonnamque legionum": ad hunc locum nemo editorum quidquam monuit; Woelfflinus (l. a.) autem verbo „Bonnamque" prorsus omisso „apud Novaesium = Novaesii, da sich die Römer laut 4, 57 nach Novaesium zurückgezogen hatten und dort laut 4, 59 obsessi waren." Etiamsi virum illum doctum adeo errasse non puto, ut dicat „obsessos", qui IV. 59, 17 (sunt enim obsessi in Veteribus castris) commemorantur, tamen non video, qua re inductus Voculam — is erat Romanorum legatus — *obsessum* Novaesii fuisse arbitratus sit. Obsessus sane non erat a Classico et Tutore, qui haud ignari quantopere Voculae milites ei infidi sibique proni essent eo tantum consilio Voculam ad Novaesium (cf. 57, 16 „*duum* milium spatio distantibus campis consedere") erant secuti, ut milites in suas partes traherent sibique conciliarent, cf. 57, 17—20. Atque verbum „captarum" non vulgari (= gefangen nehmen, ut Boetticher, Schlueter, Gutmann cet. verterunt), sed latiore sensu accipiendum esse apparet ex eo, quod proprie captae non sunt legiones: erant enim *Novaesii* — id quod, quum de legato Romano et Romanis castris dicatur, si nihil aliud, quod obstabat, a scriptore nostro

allatum est, jam in verbis „Novaesium concessit" inest — ibique sua sponte [1]) ad hostes transierunt. Id quoque quadrat ad eos, qui „apud *Bonnam*" capti esse dicuntur, quae verba, quum haec res a Tacito non accuratius sit narrata, referenda sunt ad c. 62, 16, ubi mentione tristis legionis sextae decimae itineris in coloniam Treverorum versus facta additur „Duplicatur flagitium, postquam desertis Bonnensibus castris altera (i. e. prima) se legio miscuerat (sextae decimae sc.)", quocum est conferendus locus in c. 70, 26 „legiones a Novaesio Bonnaque in Treveros traductae": unde verisimillime concludi potest, Bonnae, in ipsa urbe, legioni XVI, quum in itinere a Novaesio eo venisset, primam sese adjunxisse. — Praeter tres locos, quos modo commemoravi, hic usus in Historiis non invenitur, saepissime autem in Annalibus inest: I. 5, 13 „apud urbem Nolam" = Nolae, quod legitur 9, 3. cf. Suet. Oct. 98 „Nolae succubuit." — I. 39, 1 et 57, 8 „apud aram Ubiorum" = in Colonia Agrippinensi. — II. 41, 5 „sacrarium genti Juliae effigiesque divo Augusto apud Bovillas (= Bovillis) dicantur", cf. Orell., Nipperd. ad h. l. — 53, 2 „apud urbem Achaiae Nicopolim." 54, 11 „Non femina illic (Colophone), ut apud Delphos." III. 48, 4 „Quirinius, ortus apud municipium Lanuvium." 63, 5 „apud Pergamum Aesculapii compertum asylem retulerunt." 71, 5 „Repertum est aedem esse apud Antium." 71, 8 „ita donum apud Antium statuitur." = Antii, quod legitur XV. 39, 1. IV. 27, 3 „apud Brundisium et circumjecta

---

1) Pabst eclog. Tacit. p. 257 bene animadvertit „Wie gewöhnlich stieg auch hier (bei den Soldaten des Vokula) der Hass der Parteien so hoch, dass sie sich lieber einer fremden Macht, hier den Galliern, unterwerfen, als eine der anderen den Vorzug einräumen und nachgeben wollten."

oppida": hoc loco „apud" pro „in" accipiendum si non certum, tamen verisimillimum. 37, 10 „apud Pergamum" = Pergami, cf. IV. 55, 13 „Pergamenos aede Augusto ibi sita satis adeptos creditum." 57, 3 „apud Capuam — apud Nolam", cf. Suet. Tib. 40 „cum Capuae Capitolium, Nolae templum Augusti dedicasset." — VI. 11, 9 „apud Romam" = Romae. 20, 13 „scientia Chaldaeorum artis, cujus apiscendae otium apud Rhodum magistrum Thrasullum habuit": *in* oder *auf* Rhodus: dijudicari enim non potest, utrum insula an urbs sit dicta, quamquam magis in hoc inclino, cf. Ann. I. 4, 15. II. 42, 6. III. 48, 8 Rhodi, I. 53, 6. VI. 10, 6 Rhodum, VI. 51, 9 Rhodo. — XI. 1, 15 „repertus est apud Bajas" et XIII. 8, 15 „apud Aegeas": his duobus locis quamquam significatio dubia esse potest, tamen vis magis usitata (= Bajis, Aegeis) videtur praeferenda. XI. 29, 10 „longa apud Ostiam Caesaris mora", cf. XI. 26, 16. XII. 12, 13 „apud oppidum Edessam." XIV. 4, 2 festos dies apud Bajas frequentabat. XV. 5, 6 „Casperius centurio apud oppidum Nisibin adit regem" apud = in, quum rex sane in urbe versaretur; 23, 10 „apud Bovillas, apud Antium." 34, 6 „apud Beneventum." 46, 1 „apud oppidum Praeneste." 52, 2 „apud Bajas in villa Pisonis" = Bajis.

c) Cum *insularum* nominibus conjuncta haec praepositio in Annalibus tantum reperitur atque praeter primum locum I. 2, 2 „Pompejus apud Siciliam oppressus", ubi vulgarem illam vim „bei, in der Nähe" habet, quia Sex. Pompejus, ut recte jam monuit Orellius, proelio navali inter Mylas et Naulochum ideoque non in terra ipsa devictus est, ceteris locis significat „auf." II. 55, 12 „adsequitur Germanicum apud insulam Rhodum." 59, 6 „apud Siciliam" = in Sicilia. 75, 8 Pisonem interim apud Coum insulam nuntius adsequitur. V. 10, 3 Drusum

apud Cycladas insulas, mox *in* continenti visum. VI. 10, 6 „apud Capreas individui.“ De loco VI. 20, 13. cf. b*β*.

d) *terrarum* nominibus junctum „apud“ semper eam habet vim, qua idem atque „in“ valet. *Bis* tantum in Historiis inest. Quod Buhlius „de Taciti stilo“ p. 56 ad alterum locum I. 49, 17 „dum vigebat aetas (Galbae sc.) militari laude apud Germanias floruit“ monuit „explicare forsitan potest hic praepositionis *apud* usus inde, quod Romani bellum adversus Germanos gesserint in ipsis Germaniae confiniis versus Galliam et Italiam, unde orta, sit, et in sermone vernaculo latino invaluerit locutio: apud Germanias“ jam refutavit Handius, quum dicat miro modo expressum esse, si „apud G.“ a bellis in ipsis Germaniae confiniis gestis esset dictum. Germaniae dicuntur pro Germanis, quomodo Britanniae, Galliae: estque Taciti sententia, Galbam cum militari laude in Germania versatum esse.“ Sed idem vir doctus in eo errare nobis videtur, quod omnibus locis hunc usum ita explicari posse opinatus est, ut nomen terrae pro populi nomine dictum putemus. Quod si ad alterum quoque locum in H. IV. 69, 7 „Constat obstitisse Treveris Lingonibusque apud Gallias, quod — cum Verginio steterant“, ubi „Galliae“ eodem sensu ac „Galli“ dicuntur, quadrat et ad nonnullos Annalium locos, ubi haec dictio *quaterdecies* reperitur, tamen id constituendum, scriptorem nostrum sicut in eis, quae supra memoravi, paullatim praepositionem „apud“ eadem vi atque „in“ usurpasse. Ann. I. 34, 14 „celebrans, quae apud Germanias illis cum legionibus pulcherrima fecisset“ explicari quidem potest „Germaniae“ dici pro Germanis, ut eadem ratione II. 26, 19. IV. 18, 3. XVI. 15, 4 „apud Britanniam“, sed quam parum Tacitus ipse id observaverit, demonstrant loci: I. 47, 4, ubi praepositiones „per“

et „apud“ sese excipiunt „validior per Germaniam exercitus, propior apud Pannoniam“ das stärkere Heer in Germanien, das näherstehende in Pannonien. IV. 5, 15 „ripam Danuvii legionum duae *in* Pannonia, duae *in* Moesia attinebant, totidem *apud* Delmatiam collocatis.“ III. 12, 4 = VI. 32, 15 „cunctis, quae apud Orientem parabantur, L. Vitellium praefecit. IV. 13, 4 „civitati Cibyraticae *apud Asiam*, Aegiensi *apud Achaiam* subveniretur.“ VI. 11, 9 „apud Italiam.“ VI. 32, 9 = XIII. 8, 8 = XV. 12, 1 „apud Syriam“ = in Syria.

Jamjam transeamus ad illustrandum [1]) eum usum, quo praepositio „apud“ adjungitur B.) *personarum nominibus*, ubi in universum significat, aliquid in vicinitate personae esse aut fieri. Sic proprie legitur H. III. 54, 5 „mirum apud ipsum de bello silentium“ es herrschte ein seltsames Schweigen über den Kr. in der Nähe seiner Person. Hinc *β*) de eo dicitur, qui alicui est adjunctus: H. II. 51, 3 „ut legatione apud Caecinam ac Valentem fungeretur, minitantes orabant“: quae verba Rupertius aliique non recte explicavere „ut legatus ad eos mitti vellet“, quae notio sane cogitatione supplenda, sed tamen verbis ipsis non expressa est; recte jam Handius locum intellexit, quum (cf. Turs. I. p. 407) interpretatus sit „ut legatus Caecinae adjunctus esse vellet.“ — Eodem modo „apud“ variis significationibus cum personis conjungitur, tamen ita ut semper primaria illa vis localis cognoscatur. Usurpatur enim *γ*) eo sensu, ut significet „in alicujus domo vel domicilio“ vel sim. aliquid fieri aut esse. H. I. 13, 15. H. I. 14, 9 „cui apud Rubellium Plautum exercita cum Pisone amicitia“ i. e. in

---

[1]) Paucos locos, quum saepe usus maxime vulgaris sit, omisi; attamen disquisitionem ita institui, ut nonnullos semper adscriberem.

ejus domo. XI. 12, 14 „servi liberti, paratus principis apud adulterum visebantur.“ Eadem ratione dicitur „epulari apud aliquem“ H. I. 24, 5. III. 38, 4. A. IV. 10, 10. XI. 2, 12. XIV. 48, 4. II. 57, 14 et H. II. 29, 6 „tegi apud aliquem“ sich verbergen bei — H. III. 74, 1 et 3 „apud Cornelium Priscum juxta Velabrum delituit“ im Hause des —. Huc quoque pertinet locus a Draegero (Syntax u. Stil §. 178) non recte explicatus H. I. 7, 15 „servorum manus subitis avidae et tanquam apud senem festinantes“ quum sensus sit „indem sie *bedachten*, dass sie waren, dienten bei, in dem Hause des —“. Sic quoque dicitur de personis in exercitu alicujus versantibus: H. II. 26, 7 „frater apud Othonem militans“ i. e. in ejus exercitu, partibus. H. II. 27, 2 „nec solum apud Caecinam“ quae verba tamen non ita explices, ut suppleas „copiae“ (h. e. quae apud eum sive ei erant) conjungasque cum sequenti verbo „parebant“, sed potius interpreteris „nec solum in exercitu castrisque Caecinae cognoscebatur, haud perinde id damnum Vitellianos in metum compulisse quam ad modestiam composuisse.

Eadem ratione explicandum est A. XI. 27, 6 „sacrificasse apud deos“, quod proprie significat „in templis deorum“, sed si sensum spectas non recedit a dativo „deis.“ — Ad hunc usum etiam referendi sunt loci, quibus „apud“ dicitur de magistro: D. 35, 13 „duo genera materiarum apud rhetoras tractantur“ de schola rhetorum. D. 30, 15 „se apud Q. Mucium jus civile didicisse“ vel de educatore XV. 52, 10 disciplinâ C. Cassii, apud quem educatus erat“ proprie „in dessen Hause.“

δ) Idem est praepositionis „apud“ usus, si nominibus populorum, civitatium cet. conjungitur, quo significat in eorum finibus, urbe aliquid esse aut fieri, ut nos quoque dicimus „bei den Römern, i. e. in ihrem

Staate, in ihrer Gemeinde, in ihrer Mitte. D. 32, 26 = A. IV. 38, 17 „apud Graecos.“ (In Agricola non inest.) G. 31, 2 et 32, 4 „apud Chattos“, 38, 9 „apud Suevos usque ad canitiem capillum retro sequuntur“, 43, 18 „apud Nahanarvalos lucus ostenditur“, 44, 18 apud Germanos, cf. H. IV. 61, 9. Ann. II. 45, 7. H. IV. 56, 19 apud Batavos. Ann. II. 1, 2 apud Parthos, II. 3, 1 apud Dahas, III. 40, 3 et 43, 1 apud Aeduos, VI. 35, 1 Sarmatas, XII. 32, 6 Brigantas, XII. 38, 9 Siluras, XV. 31, 1 Medos. — Exempla modo allata si conspicis, quibus septem loci (H. I. 79, 6. IV. 34, 9 et 21. IV. 76, 11. Ann. I. 60, 3. 65, 3. XV. 1, 17), ubi „apud Romanos“ et tres (H. IV. 29, 11. 76, 1. A. IV. 72, 8), ubi „apud Germanos“ legitur, accedunt, qui alius sunt significationis, intelleges ad Taciti scripta, si unum locum in G. 38, 9, quum Suevia 43, 9. 46, 1 reperiatur, negligis, omnia, certe tamen ad Historias quoque pertinere quod Woelfflinus animadvertit in Philol. XXV, 116 „den Völkernamen gebraucht Tacitus in den Annalen fast nur, wo der Ländername fehlt oder weil Tacitus auffallender Weise weder Parthia noch Sarmatia, noch Media gebraucht.“

Eadem notione H. II. 82, 3 „apud Antiochenses“ = in Antiochensium civitate, urbe: et eadem ratione D. 25, 14 = A. IV. 38, 18 „apud *nos*“ pro in Italia, Romae. D. 40, 18 apud quos = in deren Staat, i. e. Athenis. Saepius e scripti natura in Germ. „apud illos“ 2, 9. 5, 11. 13, 5. 16, 7. 44, 11. 3, 1 „Fuisse apud eos et Herculem memorant“ in ihrem Lande. 22, 2 lavantur saepius calida, ut apud quos plurimum hiems occupat. Ann. II. 60, 6 Herculem indigenae ortum apud se perhibent „in ihrem Lande.“ III. 61, 3 esse apud se Cenchreum amnem, lucum Ortygiam „in ihrem Gebiete.“ III. 62, 11 apud se „in ihrer Stadt.“ XIV. 17, 6. 39, 7. XV. 31, 7. Atque sic in universum „apud“, si de com-

pluribus hominibus dicitur, multis variisque locis usurpatur, quibus idem est usus praepositionum „in" et „inter": nonnulla exempla attulisse sufficit: G. 13, 15 „nec solum *in* sua gente cuique, sed *apud* finitimas quoque civitates id nomen est." G. 25, 11 „apud ceteros" i. e. in ceteris gentibus. H. I. 26, 3 „parata apud malos seditio, etiam apud integros dissimulatio fuit." H. II. 26, 10 eadem ubique formido fuit apud fugientes, occursantes, *in* acie cet. H. II. 68, 1. Ann. III. 39, 6. XII. 1, 1. H. II. 30, 6. Ann. III. 76, 4. XV. 48, 6. H. II. 32, 13. III. 61, 11. IV. 18, 25. A. I. 17, 24 „apud horridas gentes (versantes sc.) e contuberniis hostem aspici." III. 26, 7 „provenere dominationes multosque apud populos mansere." XIII. 57, 7. I. 9, 19. 52, 9. XV. 20, 9. 16, 18 „sola misericordia valebat (waltete) et apud minores magis." III. 10, 11 „apud multos" = si multi essent. — Eadem notione Tacitus hanc praepositionem usurpare amat, quum apud aliquos aliquid esse dicitur ita ut verba cum „apud" conjuncta eademque plerumque in initio enuntiati summa vi posita aliis opponuntur: germanice reddas „auf Seiten." H. I. 79, 6. H. II. 41, 15. H. IV. 29, 11 „Apud Germanos inconsulta ira: Romanus miles — saxa non forte jaciebat." H. IV. 76, 1. A. I. 65, 3. A. IV. 14, 6. XII. 38, 7 „minus intenta apud nos militia fuit." Eandem significationem inesse in praepositione „a" satis notum: sed *semel* tantum apud Tacitum hoc sensu legitur: Ann. IV. 25, 8 „Ab Romanis confertus pedes, dispositae turmae, cuncta proelio provisa: hostibus contra omnium nesciis non arma, non ordo" etc.

e) Quod apud nonnullos homines doctos (Forcell. lex. s. h. v., Boettich. lex. Tac., Grysar, Zeitschr. für die östr. Gymn. 1853. p. 19; Hand I. 412 cet.) legitur, hanc praepositionem interdum a loco, quamquam rarius, ad tempus referri idemque significare ac „sub", non satis

recte dictum est, quum „apud", ut jam in initio monui, semper habeat vim localem. Si enim in ejusmodi exemplis verbis cum „apud" conjunctis aliquid aliquo tempore factum esse exprimitur, haec temporis notio non in ipsa praepositione „apud" inest, sed per vim tantum nominis huic praepositioni additi efficitur vel potius infertur. H. I. 72. 10 „Tigellinus apud Galbam Titi Vinii potentia defensus." I. 73, 7 Calvia apud Galbam Othonem Vitellium inlaesa. H. IV. 41, 11. Ann. II. 33, 9. — Sic eadem ratione „apud majores, priores, veteres" usurpatur, ut sensu quidem non differat ab eo, quod est „vetere aetate" vel „veterum, majorum aetate", quae verba tamen apud Tacitum non inveniuntur: „apud majores." D. 30, 6. 34, 1. H. II. 69, 14. H. III. 51, 11. XI. 22, 8 „apud veteres." H. V. 13, 21. A. I. 72, 8 „apud priores." Agr. 1, 5. Ann. III. 55, 20 „apud posteros." H. I. 21, 14. A. XVI. 25, 9. cf. D. 12, 21. H. II. 50, 5. V. 17, 13. Ann. I. 32, 10. VI. 32, 19. XII. 28, 8. Woelffl. Philol. XXVI, 113.

ζ) His adjungam locos maxime notioni primariae cognatos, quibus praepositio „apud" posita est pro dativo; cf. Roth ad Agr. excurs. XII. p. 159. H. I. 24, 8 „publicam largitionem Otho secretioribus apud singulos praemiis intendebat. H. I. 13, 12. H. I. 20, 4 „appellari singulos jussit decuma parte liberalitatis apud quemque eorum relicta" wobei der 10. Theil des Gnadengeschenkes einem Jedem von ihnen belassen wurde et sim. A. II. 70, 6 „neque praemia caedis apud interfectorem mansura", cf. XV. 6, 16. — Eodem quoque modo „aliquid apud aliquem esse" dicitur pro „alicui esse." H. II. 17, 2 „nullo apud quemquam Othonis favore" = quum nullus favor in Othonem cuique esset. H. II. 75, 3 „apud victos plus querimoniarum quam virium." H. III. 1, 10 „minorem esse apud victos animum" Besiegte hätten geringeren Muth. H. III. 10, 12. 41, 11. H. IV. 76, 11.

Ann. I. 55, 14. V. 2, 10. XI. 26, 14. VI. 22, 6. 43, 13. XII. 35, 14 „turbatis contra Britannorum ordinibus, apud quos nulla loricarum galearumve tegmina“ = „quibus — erant“ vel „qui non habebant.“

η) Conjungitur „apud“ cum nomine auctoris alicujus libri eandemque vim habet atque „in ejus scriptis“, quum scriptores, ut bene explicat Handius (I. 409), in libris suis quasi in domicilio habitent: D. 9, 6 „cui bono est, si apud te Agamemnon aut Jason diserte loquitur?“ i. e. in tragoediis tuis. H. II. 37, 1. Ann. I. 81, 3 „diversa non modo apud auctores, sed in ipsius orationibus reperiuntur.“ Ann. II. 88, 1. III. 3, 4. IV. 35, 9.

ϑ) Deinde aliquid apud aliquem ita fieri dicitur, ut persona simul hujus rei agendae particeps sit eaque significatione nostro „von Seiten“ respondens non multum, quod ad sensum attinet, a praepositione „a“ recedit. Attamen aliquantum interest ad ipsam notionem, utrum aliquid fieri ab aliquo dicas an apud aliquem: hoc enim quum dicis ipsa loci notio valet et primaria est compluresque personae comprehenduntur; quum autem praepositione „a“ uteris, sola causae notio intellegitur neque quidquam in eo est, quod ad locum referatur. Bene igitur Kritzius jam monuit ad locum in Agr. 21, 11 „idque apud imperitos humanitas vocabatur“ „apud“, quod sententia fere idem est atque „ab“ imperitis, per se significat in circulis imperitorum, in sermonibus imper. Agr. 22, 15 „Apud quosdam acerbior narrabatur.“ H. II. 91, 1 „Apud civitatem — funesti ominis loco acceptum est.“ H. III. 55, 12 „apud sapientes cassa habebantur.“ H. IV. 26, 6. Ann. I. 9, 8. IV. 68, 5. — Germ. 11, 3 „apud principes“ i. e. „in coetu principum“, quod sensu non differt ab eo, quod est „a principibus.“ H. II. 26, 16. 37, 9. 45, 7. Ann. IV. 72, 8. — Sed fines hujus usus non accurate definiri possunt, quum verbo passivo cum „apud“ conjuncto plerumque

dici possit, ad sensum „apud“ non multum differre a praepositione „a“: e. g. si legitur G. 8, 9 „Veleda, diu apud plerosque (Germanorum sc.) numinis loco habita.“ cf. H. V. 15, 14. Ann. II. 88, 15. XII. 40, 4 „aucta aeque (Spitta l. a. p. 113) apud hostes ejus rei fama“ bei i. e. von Seiten der F.

ι) His addimus usum maxime propinquum, quo, si „apud“ cum persona conjunctum legitur, animus personae, opinio, sententia intellegitur, ad quam aliquid constituitur ideoque et id, quod alicui visum est aut ex alicujus sententia exstat: id quod nos dicimus „bei, in den Augen, nach dem Urtheil Jemandes“ vel sim. Eo sensu saepius dicitur „alicui aliquid esse apud aliquem.“ Dial. 12, 15 „nec ullis aut gloria major aut augustior honor primum apud deos, quorum —, deinde apud illos dis genitos sacrosque reges.“ 12, 21 „concedes, Aper, non minorem honorem Homero quam Demostheni apud posteros“ in den Augen der Nachwelt. G. 10, 16. 20, 9. H. II. 33, 17. III. 43, 6. Ann. I. 7, 21. — H. I. 29, 17 „aut quod aeque apud bonos miserum est „in den Augen.“ I. 52, 8 „ut Vitellius apud severos humilis, ita..“ = eorum judicio. H. II. 76, 22. V. 17, 13 „illum diem aut gloriosissimum inter majores aut ignominiosum apud posteros fore“ i. e. illo die eos aut plus gloriae consecuturos quam majores ipsorum antea consecuti sint aut tantum ignominiae, ut etiam posteri male de ipsis existimaturi sint. — D. 27, 3 apud me in confesso est alqd. cf. A. III. 52, 12. D. 5, 4 gratia praevalere apud alqm. D. 7, 13 illustris apud alqm. D. 13, 5 gratia apud alqm. 36, 19 et 20. H. I. 5, 6. Ann. VI. 18, 6. II. 44, 9 „Maroboduum regis nomen invisum apud populares [1]), Arminium

[1]) Eadem notio, alia tamen cogitatione effecta inest in dativo, qui et ipse saepe pro „apud“ legitur, quod uno insigni exemplo collustrabo: „invisus alicui personae.“ H. I. 21, 7. 60, 2. 71, 7. IV. 24, 5. 58, 32. 63, 8. 70, 13. V. 3, 4. Ann. I. 8, 6. II. 42,

pro libertate bellantem favor habebat": haec verba neque ab Ernestio recte explicata sunt „Maroboduum regis nomen, Arminium favor invisum apud populum habebat, faciebat", quae interpretatio sententiarum sensui repugnat, neque a Nipperdeio (de eo quoque, quod idem addidit „und diese bewirkte — — Absichten an" nihil in scriptoris verbis inest). Antea dictum est „Vis nationum, virtus ducum in aequo" (hielten sich das Gleichgewicht) et per „sed" additur quod inter duces intererat: „apud populares invisus erat Maroboduus, Arminius in favore" et causa utriusque rei simul adjecta est: „nomen regis" — „pro libertate bellantem." De zeugmate cf. Boettich. l. T. p. 227 (A. II. 65, 1. IV. 33, 22 habet = facit, reddit.). — H. I. 64, 19 „Valens nullo apud Vitellium honore fuit." A. VI. 37, 16. A. I. 24, 8 „Sejanus magna apud Tiberium auctoritate." A. I. 33, 6. A. I. 60, 3. Sic sim. H. I. 10, 9 potens apud alqm. cf. Ann. I. 69, 14 atque ut „multum, plurimum valere apud alqm." (H. IV. 73, 3. III. 36, 10. Ann. II. 76, 9. XII. 64, 17) dicitur, sic Ann. I. 57, 3 „validiore apud eos Arminio" quibus verbis conferas locum in Ann. XIII. 22, 6 „validiore apud libidines principis Paride" et locos Ann. IV. 12, 17 „Prisca in animo Augustae valida" et XIV. 51, 16, ubi variationis causa legitur „in animo Neronis" (et „populi et militum") pro „apud Neronem", quod statim sequitur. In Annalibus demum, sicut vides, haec dicendi ratio (in animo = apud cf. quoque XV. 50, 15) invenitur.

κ) Denique accedamus ad usum apud Tacitum frequentissimum, quo „apud" cum persona conjunctum additur verbis maxime generis dicendi et declarandi ita ut quum aliquid in alicujus propinquitate dictum vel

---

6. IV. 19, 2. VI. 48, 7. XI. 16, 12. XIV. 3, 14. XV. 71, 18. XVI. 10, 2. 14, 10.

factum esse dicatur et qui in vicinitate alicujus aliquid agit prope adstet, de praesentia usurpetur eaque ratione abeat in vim praepositionis „*coram.*“ De hac praepositione cf. Woelfflinum Philol. XXV. 116, qui tamen non satis recte dicit, *saepe* „coram“ nomini praepositum a Tacito esse usurpatum, quum in Agricola et Historiis prorsus non insit, in Dial. 28, 19 et 29, 6, in Germ. 19, 5, in Ann. praepositum VI. 4, 8 et XIV. 59, 10, postpositum praeter locos a Woelfflino allatos etiam III. 24, 17 et VI. 42, 18. — Hic autem usus praepositionis „apud“ quantum pateat, eo cognosces, quod praepositio „ad“, quae in multis variisque dictionibus ut „loqui ad alqm., oratio ad alqm.“ et quae sunt similia a ceteris scriptoribus usurpatur, apud Tacitum omnino non invenitur uno loco excepto in H. III. 24, 9 „haec, ut quosque accesserat: plura ad tertianos“ (sc. locutus est), ubi tamen, quod vix commemorandum, „ad“ non idem valet atque „apud“, sed directionis notionem habet. — Conferas praeterea locum illum in Dial. 42, 6 „ego“ inquit „te poetis, Massalla antiquariis criminabimur“, ubi pro dativo praepositionem „apud“ exspectas: sed „criminari aliquem alicui“ saepius legitur apud scriptores argenteae aetatis (Plin. ep. VI. 13, 2. Suet. Calig. 56), quum a Cicerone (offic. III. 20, 79) et Livio (I. 54, 8) „apud aliquem“ dicatur. — D. 5, 13 „ipsum solum apud te coarguam. 5, 30. 7, 6 causam orare apud centumviros. XIII. 5, 8. D. 19, 23. 23, 11 apud judicem fabulare. — 31, 17 dicere apud alqm. 38, 9 et 15. 41, 15 contiones (Reden) apud populum. — Agr. 29, 16 loqui apud alqm. 41, 1 accusare apud alqm. Germ. 12, 1. — Hist. I. 18, 6 Apud frequentem militum contionem — pronuntiat. II. 63, 6. 90, 1 orationem promere. 96, 7 apud milites disseruit. IV. 58, 1. XI. 35, 7 verba facere. H. V. 26, 5 se defendere apud alqm. H. I. 19, 1 sermo apud alqm. III. 6, 4 IV. 52, 1. 41, 9. cf. V. 16, 6. — H. II. 79, 5 „quamvis

Judaeicus exercitus — apud ipsum jurasset": „apud ipsum" sensu quidem hoc loco redit ad idem ac si dativus positus esset [1]), sed proprie, si verba sola respicis, significat „ipso praesente" neque aliter dictum est atque Ann. I. 7, 6 „consules primi in verba Tiberii Caesaris juravere apudque eos Sejus Strabo et C. Turranius" apud eos i. e. eis praesentibus. Eadem ratione H. IV. 37, 10 „apud quem resumpto sacramento." H. IV. 65, 16. — In Annalibus saepe de senatu dicitur, apud quem aliquid *agitur* I. 25, 11. 77, 5. VI. 12, 9. 10, 4 „haec apud senatum": ad haec verba, quae ab Orellio et Nipperdeio nescio quo jure ab eis, quae antecedunt, sunt sejuncta, non supplendum (Walth., Rup.) „ad mortem agitur", sed potius „acta sunt", ita ut verba „haec apud senatum" referenda sint ad disquisitiones in feminas factas, quas apud senatum institutas esse non dictum est. Aliter judicarunt Orellius et Nipperdeius. — Sic legitur „apud senatum" disserere I. 6, 3. II. 63, 9. II. 43, 2. XII. 21, 3 apud Caesarem cf. I. 22, 3. 41, 15. III. 46, 1. VI. 8, 3. — XII. 22, 6. 25, 9 habita apud senatum oratione. — alqd. apud senatum celebrare II. 52, 24. IV. 2, 12. XIII. 8, 1. — queri II. 71, 12. III. 16, 10. 31, 10. V. 5, 2. — incusare III. 51, 4. — II. 84, 4 jactare alqd. apud patres. cf. XV. 23, 19. 67, 20. — deprecari XII. 62, 2. — I. 6, 14 rationem reddere. II. 31, 9. 34, 20 causa tractatur. III. 12, 28. IV. 6, 5. 15, 7. XIV. 40, 12 „quod apud patres convictum." III. 16, 4. IV. 64, 6. XV. 22, 4. Praeterea ex Annalium libris afferam I. 58, 8 „reum facere alqm. apud alqm. — III. 10, 1. XIII. 44, 22 postulare alqm. apud consules. — IV. 12, 14. XIV. 41, 4 reos arguere apud praefectum urbis. I. 81, 8 profiteri. II. 85, 4. IV. 34, 22. 7,

---

[1]) cf. Hand I. 413, qui, ut mihi videtur, non satis recte de hac re judicat. In universum, quod sub titulo 8 ac 9 attulit, parum sejunxit.

12 „neque raro neque apud paucos talia jaciebat.“ XI. 23, 5. XIII. 46, 2 „laudare.“ XIV. 62, 17 „plura fingit fateturque apud amicos, quos adhibuerat princeps“ in Gegenwart. — Denique ad hunc usum referemus locos, quibus majore vi pro simplici „apud aliquem“ aliquid dictum esse dicitur „apud alicujus aures“, quod praeter locos ab Handio I. 408 jam allatos: Agr. 44, 16. H. I. 26, 12. Ann. II. 39, 13 invenitur A. I. 31, 19 „Non unus haec (dixit sc.) nec apud trepidas militum aures.“ IV. 29, 13 „addiderat quaedam contumacius quam tutum apud aures superbas et offensioni proniores“ i. e. als sicher ist bei einem Manne v. stolzem, leicht zu beleidigenden Gefühl.

Haec sunt, quae de praepositione, quae est „apud“ videntur dicenda esse: quae si conspicis, intelleges, quam fuse, quam late Tacitus ea usus sit: idem valet (eandemque ob causam selegimus tractandam) in praepositione „adversus“, quae a nullo ceterorum scriptorum, nisi egregie fallor, eodem modo est adamata atque a Tacito, id quod similium praepositionum locos conferendo etiam clarius elucebit.

Adversus.

Hujus praepositionis duae formae „adversus" et „adversum" exstant, quae apud scriptores promiscue leguntur, ita ut certa lex constitui non possit, nisi quod „adversus" multo saepius invenitur. Sallustius vero fere semper forma „adversum" utitur, Suetonius semper „adversus." Scripta Tacitea ita alia ab aliis distant, ut aut „adversus" aut „adversum" in aliis libris nullo loco vel raro, in aliis saepissime legatur, alii medium teneant. Si quidem haud paucos homines esse non ignoro, qui despiciant in eos, qui verbis et particulis enumerandis aliquid efficere conentur, eos tamen viros, quantum ad Tacitum attinet, revoco ad Woelfflinum, qui hanc rationem luculentissime comprobavit et aliis verbis nonnullis et hac praepositione (Philol. XXV. 103), cujus verba medela adhibita hic adponam: Nur „adversus" finden wir Dial. 4. 33. 36. 37., im Agr. 9 bis. 12. 13. 22 bis. 24. 30. 33 bis nach dem zeugniss beider codd. *ΓΔ*, in Germ. 16. 23. 46 bis; adversum erst H. 1, 51. 90. 2, 12. 4, 2. 25 noch ganz sporadisch neben zehnmal (rectius „duodecies", quum „adversus" bis et sexagies reperiatur) zahlreicheren beispielen für die form „adversus", dann immer zunehmend Ann. I. auf ein drittel (rectius „in dimidiam partem", quum adversus decies, adversum quinquies legas), Ann. II. auf die hälfte (in universum recte, sed „—sus" duodecies, „—sum" quinquies), Ann. III. schon dem gegner überlegen („—sus" quinquies, „—sum" duodecies), so dass Ann. 4, 42 und 6, 2 adversus seltenheiten geworden sind neben etwa

dreissig (reperitur sexies et vicies) adversum, während endlich in den büchern 11—14 der rückschlag wieder eintritt und adversus etwa wie in den Historien überwiegt." Inest „adversus" quinquies et quadragies, „adversum" autem ter tantum: XII. 16,8. 55,10. XIII. 42,7. In postremis libris tamen illae formae fraterno animo sese conjungunt, quum unaquaeque duodecies reperiatur. — Causam variandi hujus praepositionis formam si quaeris [1]), vix ullam invenire poteris, nisi forte concedis, scriptorem persaepe euphonia commotum altera vel altera forma usum esse, ne vocabula in easdem syllabas cadentia ingratum sonum efficerent: hoc Tacitum spectare apparet ex eo, quod duobus tantum locis (Ann. III. 52, 2. IV. 11, 7) „adversum" sequitur vox, quae in syllabam „um" cadit, quum alias scribit e. g. H. V. 12 „adversus longum obsidium." Ann. I. 35 „adversus otium castrorum." Ann. III. 71 „dilatum nuper responsum adversus Servium Maluginensem." Ann. III. 32, 5. XIII. 28, 14. Ann. II. 57 „adversus metum." II. 12 „adversum metus." H. IV. 2, 14. Neque tamen huc referenda sunt exempla ut G. 26 „adversūs casūs" (cf. Ann. IV. 66, 1), H. 1, 79 „adversūs ictūs." —

Anastrophes exempla, quae apud alios scriptores [2]) exstant, apud Tacitum non inveniuntur praeter vulgarem illam in H. V. 13, 17.

De variatione: In minoribus scriptis (cf. „apud" init.) nondum commutatur haec praepositio cum aliis

---

[1]) Quod apud Ruperti ad XV. 48 legitur „ante vocalem 'adversus' poni solet" prorsus comprobari non potest.

[2]) cf. Hand I. 188, cujus exempla e Plauti (Amph. 2. 2, 118. 3. 2, 55. Poen. 1. 2, 188. Aulul. 4. 7, 9. Bacch. 1. 2, 19. 4. 4, 47) et Terentii (Phorm. 2. 3, 80) scriptis coacervanda verbaque autem eo sunt restringenda, quod hujus praepositionis anastrophe *in universum* non admissa est nisi antecedunt formae pronominum pers., demonstr., relat.

(cf. Agr. 9, 17. 33, 9. G. 46, 20), in Historiis uno loco (II. 76, 14) „adversus" et „contra", sicut XIII. 35, 2, in Annalibus autem saepius sese excipiunt „adversus" et „in". II. 56, 4 „adversus Romanos odio et in Parthum invidia." III. 16, 17. 46, 5. VI. 1, 14. 8, 29. XII. 20, 13. 55, 10. XIII. 37, 11 et uno loco (III. 29, 9) „cum" et „adversus." — Cum dativo variatur „adversus": Agr. 22, 16 „comis bonis, adversus malos injucundus." H. I. 35, 13 „minantibus intrepidus, adversus blandientes incorruptus." cf. H. III. 63, 8. 69, 27. Ann. IV. 1, 12. XI. 21, 12 (cf. Nipperd. ad h. l.). XII. 30, 9. XIV. 23, 11 „misericordiâ adversus supplices — inmitis iis, qui —". De loco XV. 48, 8. cf. p. 44.

Exemplum formae *anaphorae* non legitur.

Quod ad locum in Agr. 12, 4 attinet „nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius", ubi „adversus" et „pro" sibi respondent et opponuntur, et Wexius (proleg. p. 101) et Kritzius ex ipsis Taciti scriptis afferre poterant locum in H. III. 73, 16 „edicta pro Vespasiano magnifica, probrosa adversus Vitellium." cf. H. I. 84, 1. H. IV. 20, 3.

De significatione. Haec praepositio, quae proprie verbi advertendi participium perfecti (masc. et neutr. generis) est, primaria vi dicitur de re in loco, qui contra aliquid situs est, posita ita ut id quod ad aliquid vertitur, significet nostrae voci „gegenüber", gallicae „vis à vis" respondens. Cujus usus exempla, quae apud alios scriptores huc illuc exstant (Hand I. 180), non reperiuntur apud Tacitum, qui praepositionis „adversus" loco bis „*contra*", cui eadem notio inest, usurpavit H. II. 17, 12. Ann. III. 1, 2.

Hac primaria vi nititur b) usus, quo haec praepositio jungitur verbis dicendi et respondendi (Hand I. 181) atque α) refertur ad personam: Ann. III. 71, 9 „dilatum nuper responsum adversus Servium." Ann. VI. 2, 18

„haec (per litteras respondit sc.) adversus Togonium verbis moderans.“ *β*) ad res: Ann. III. 59, 1 „Adv. quae cum alii varie dissererent.“ 69, 6. XV. 66, 6 Non vox adv. ea Faenio „diesen Worten gegenüber, hiergegen.“

c) Ex ipsa locali notione ea quoque vix exsistit, qua „adversus“ comparationi rerum inservit pro „*contra*“, quod eo sensu apud Tacitum quidem non reperitur, sed (omisit Handius in Tursell. hunc usum) apud Quint. X. 1, 114 „C. vero Caesar si foro tantum vacasset non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur“ vel pro maxime usitato „ad“: verumtamen manifestum praepositione „adversus“ utendo fieri, ut discrimen rerum ex adverso positarum, unde comparatio efficitur, magis incidat in oculos. A Tacito praeeunte Livio, qui priorum scriptorum solus, ut videtur, hac praepositionis vi utitur (cf. Hand I. 183), tribus locis usurpatur: Dial. 33, 5 „differentiam nostrae desidiae et inscientiae adversus acerrima et fecundissima eorum studia demonstrasti.“ Ann. XII. 15, 12 „Nec fuit in arduo societas potentiam Romanam adversus rebellem Mithridaten ostentantibus.“ XV. 19, 6 „jus naturae, labores educandi adversus fraudem et artem et brevitatem adoptionis enumerant“ „gegenüber“ i. e. „im Gegensatz zu, im Vergleich mit.“

d) Deinde primitiva loci potestate is usus nititur, quo praepositio „adversus“ simpliciter relationem in universum indicat, quae alicui personae vel rei cum re vel persona est. Atque sic quoque „adversus“ usurpatur in universum „de animo et agendi modo quocunque, qui conversus est ad aliquem hominem“ eaque notione prorsus nostro vocabalo „gegenüber“ i. e. „gegen“ vel „in Beziehung auf, hinsichtlich“ respondet. Eundem habet usum praepositio „*erga*“: itaque recte in nota ad Agr. 5, 15 „gloriae cupido, ingrata temporibus, quibus sinistra erga eminentes interpretatio“ Kritzius jam monuit: Verba „erga eminentes“ neque pendent ex „sinistra“ neque

pertinent ad „interpretatio", sed adverbialem habent praedicati definitionem, quam germanice sic reddas „hervorragenden Persönlichkeiten gegenüber." Patet in hac sententia „erga" non ita esse positum, ut inimicum vel adversarium animum prodat (ut Draegerus „Synt. und Stil" §. 98 opinatus est), sed simpliciter relationem indicare. cf. Agr. 16, 25. Hist. I. 4, 11. 15, 28. 17, 3. II. 1, 5. 55, 9. III. 25, 18. Ann. III. 74, 20. 2, 2. XV. 58, 7 et Draegero teste Taciteae tantum dictioni proprius usus Hist. I. 20, 6. A. IV. 11, 11. 20, 4. XI. 25, 23. XVI. 33, 5. — Praepositio „*contra*" eodem modo usurpatur prorsus nostro vocabulo „gegenüber" respondens, ita ut nihil malevoli sentiatur, sed relatio tantum exprimatur: XIII. 35, 2 „Sed Corbuloni plus molis adversus ignaviam militum quam contra perfidiam hostium erat."

Jam accedamus ad praepositionem „adversus" et videamus exempla: H. I. 10, 13 „Nec Vespasiano adv. Galbam votum aut animus" i. e. dem G. gegenüber, gegen G. — H. III. 51, 1 „auctores habeo, tantam victoribus adv. fas nefasque inreverentiam fuisse." H. I. 90, 6 „Otho — adv. Vitellianas partes modeste disseruit" i. e. der Vit. Partei gegenüber, in Bezug auf. — Ann. IV. 11, 7 „cunctatione et mora adv. unicum uteretur" gegenüber, gegen, bei seinem einzigen Sohne. VI. 1, 14 „dona in promptos, minas adv. abnuentes exercebant." XIII. 25, 5. 28, 16. 26, 2. 51, 4. XVI. 15, 9. 5, 14. — Ann. I. 47, 1: „adv. eos sermones" solchen Gesprächen gegenüber. I. 75, 3 „multaque eo coram adv. ambitum et potentium preces constituta" hoc loco non est sermo de eis, quae contra ambitum cet. *constituta* sunt, sed potius significat „dem — gegenüber", ut recte Nipperdeius explicat „adv. amb." so dass ungesetzliche Einflüsse nichts über die Richter vermochten. — Insolentius dicta, sed concinnitate totius periodi excusata sunt verba, quae leguntur in lib. XIII. 10, 3 „sibi statuas ar-

gento vel auro solidas adversus offerentes prohibuit" quod nos vertimus *„für sich* schlug er Statuen denen, die sie ihm anboten, ab." — XII. 29, 11 „legionem pro ripa componeret, subsidio victis et terrorem adv. victores" „als Schreckniss den Siegern gegenüber."

Agr. 9, 17 „Procul ab aemulatione adv. collegas, procul a contentione adv. procuratores et vincere inglorium et atteri sordidum arbitrabatur" seinen Amtsgenossen gegenüber, cf. quae ad Agr. 5, 15 „erga eminentes" supra (p. 42) attulimus. Ann. XI. 21, 12: „Adv. superiores tristi adulatione, arrogans minoribus." — XII. 55, 10. XIV. 23, 10 „dux Romanus diversis artibus, misericordia adv. supplices, celeritate adv. profugos" verschiedene Mittel anwendend, Mitleid den — — gegenüber, gegen die. XV. 48, 8 „facundiam tuendis civibus exercebat, largitionem adv. amicos et ignotis quoque comi sermone et congressu." Hoc loco Nipperdeius Orellium secutus post particulam „quoque" signum commatis posuit: sed praeter abrupta in fine enuntiati verba responsio membrorum, quamquam de sensu hujus loci disceptari potest, postulare videtur, ut verba „ignotis quoque" (= adversus ignotos) ad verba, quae sequuntur, referantur. — XI. 18, 19 „magnis delictis inexorabilem scias, cui tantum asperitatis etiam adv. levia credebatur" i. e. dem man soviel Härte selbst unerheblichen Vergehen gegenüber, bei — — zutraute." — Eadem ratione dicitur Germ. 23, 5 „adv. sitim non eadem temperantia" i. e. „dem Durst gegenüber" = hinsichtlich des Durstes. H. I. 66, 16 „pactionibus adv. possessores agrorum „Verträge mit den Grundbesitzern." A. III. 29, 9 privignis *cum* vitrico levior necessitudo quam avo adv. nepotem. — Ad hunc usum quoque referendi sunt loci in Ann. XIII. 17, 4 „Britannicus sepultus est adeo turbidis imbribus, ut vulgus iram deum portendi crediderit adv. facinus, cui plerique etiam hominum ignoscebant" i. e. einer Fre-

velthat gegenüber, quod ad sensum non multum abest a „wegen, über“: et sim. in lib. XIV. 1, 10. — XIII. 35, 1. —. XI. 24, 11: „Tunc solida domi quies et adv. externa floruimus“ dem Auslande gegenüber = quod attinet ad. Sed quam fuse Tacitus hac praepositione usus sit, demonstrat locus, ubi pro „adversus“ aureae latinitatis aetate scriptores nullam nisi praepositionem, quae est „de“ usurpassent, in lib. XII. 54, 16 „Nec adv. Judaeos dubitatum, quin capite poenas luerent“ „den Juden gegenüber“ = de Judaeis. —

Eadem ratione haec praepositio β) ad adjectiva refertur, cujus in loco bis eodem sensu legitur „erga“ (Ann. II. 73, 7. IV. 74, 11) et raro solus dativus, cf. Nipperd. ad XI. 21. Walch ad Agr. c. 16 p. 227, sed huc non pertinent loci ut Ann. II. 14 „pavidos adversis“, quum „adversis“, quod nonnulli false interpretati sunt pro dativo (= adversus), ablativus sit cf. Nipp. ad h. l. Heraeus ad H. I. 7. — Agr. 22, 16 „ut erat comis bonis, ita adversus malos injucundus.“ Germ. 46, 20 „securi adv. homines, securi adv. deos rem difficillimam assecuti sunt“ den Menschen gegenüber, hinsichtlich der M. H. I. 26, 14. 35, 13. A. IV. 1, 12. VI. 48, 23. XV. 58, 12. — H. II. 12, 7 „Suedonius Clemens ambitioso imperio regebat, ut adversus modestiam disciplinae corruptus, ita proeliorum avidus“ i. e. „der Manns-, Kriegszucht gegenüber“, quod ad m. d. attinebat corruptus. Non opus esse nobis videtur emendatione a Doederlein proposita et ab Halmio Heraeoque recepta „adv. *in*modestiam“: facilis sane conjectura, quae primo obtutu maxime placet. Attamen lectio codicum bonum sensum fundit: Suedonius Clemens ambitione tantum impetrabat, ut milites, qui ut ex eis quoque, quae sequuntur, patet, nimis inmodesti disciplinaeque parum obnoxii erant, ei obtemperarent: atque ut militum animos sibi pronos redderet et retineret, modestiam disciplinae, quam ut

dux servare debuit, dissolvi patiebatur. Verbum igitur, quod est „corruptus“ eo sensu accipiendum, quo nos quoque dicimus „verdorben“ i. e. schlecht, nichts werth. Alii (cf. Rup., Roth [ad Agr. p. 238], Petersen cet.) aliter de hoc loco senserunt. — H. I. 3, 4. III. 69, 27 „miles adv. pericula ferox, laboribus et vigiliis parum intentus erat.“ IV. 2, 14 „tristes et adv. plausus ac lasciviam insultantis vulgi inmobiles.“ Ann. I. 65, 14 „lentae adv. imperia aures.“ II. 71, 3 „Si fato concederem, justus mihi dolor etiam adv. deos esset, quod —“ „gerecht selbst den Göttern gegenüber.“ IV. 69, 14 „pavens civitas, tegens adv. proximos“ „vorsichtig gegen.“ VI. 13, 3 „licentius efflagitata quam solitum adv. imperatorem.“ XIV. 3, 8 „mulier usu scelerum adv. insidias intenta.“ XVI. 4, 5 „Nero nihil ambitu nec potestate senatus opus esse dictitans, se aequum adv. aemulos et religione judicum meritam laudem adsecuturum, primo carmen in scena recitat.“ Lipsius aliique hoc loco explicant: „se aequalem et parem in hoc certamine“ „er sei, fühle sich gewachsen seinen Mitbewerbern gegenüber“: quae explicatio maxime arridet propter structuram totius enuntiati, in quo verba „se . . . assecuturum“ epexegesis sunt ad „nihil — — opus esse“ atque ut verba „potestate senatus“ respondent „religione judicum“ sic pulchre sese excipiunt „ambitu“ et „aequum adv. aem.“ Sed maxime dubitandum, num voci „aequo“ hoc loco ut in aliis dictionibus vis verbi, quod est „par“ tribui possit. Quam ob causam facere non possumus, quin Orellium, Nipperdeium secuti explicemus: se adversum aemulos ex aequo agere exuto principe „in gleicher Stellung den Mitbewerbern gegenüber.“

e) Quum igitur „adversus“ dicatur de eis, quorum aliqua est inter se relatio, notioque directionis in aliquam personam vel rem versus hac praepositione comprehendatur, per se quemcunque animi conatum conti-

net: eaque ratione fieri potuit, ut tam in bonam quam in malam partem usurparetur, quamquam in universum semper est tenendum, in ipsa praepositione „adversus“ nihil benevoli vel inimici inesse.

Atque primum α) ordiamur ab eo usu, quo „adversus“ de animo amico et benevolo dicitur. Hic usus autem in Annalibus tantum inest quum in minoribus scriptis et Historiis praepositio „*erga*“, quae proprie huic notioni inservit, inveniatur: sic duobus locis, quibus „erga“ in Germania legitur: 33, 5 cf. H. III. 44, 5. et 44, 5 cf. H. III. 5, 9. Ann. III. 12, 7. V. 3, 3. — H. I. 71, 8. II. 6, 11. 11, 7. III. 5, 12. Ann. I. 58, 2. — H. I. 83, 11. II. 48, 6. III. 59, 2. — III. 69, 18. IV. 37, 16. V. 24, 6. Ann. XV. 51, 10. — H. V. 26, 8. Ann. I. 9, 9. 10, 1. III. 8, 5. IV. 71, 22. XIV. 55, 12. XVI. 30, 8. — „Adversus“ autem hisce tantum locis invenitur: Ann. III. 16, 17 = XI. 17, 5 = XII. 30, 9 „egregia adv. nos *fide*.“ XIII. 13, 6 amor adv. eandem libertam. XII. 20, 13 „quanta pervicacia in hostem, tanta beneficentia adv. supplices utendum.“ XV. 44, 24 „miseratio adv. sontes oriebatur.“

β) In malam partem accipitur de quocunque malevolo et inimico animo, quod ferme significatur per „*contra*“; sed haec praepositio apud Tacitum admodum raro invenitur: H. I. 89, 9. II. 76, 14. Ann. XIII. 2, 8 et tribus locis, quos paulo post attuli. Hoc malevolo et adverso sensu etiam praepositio „*erga*“, qui usus Plauto, Terentio (Hand II. 439) familiaris, a Cicerone prorsus alienus, primum iterum apud Cornelium Nepotem (cf. Hand l. a., omisit tantum Hannib. 10, 1) invenitur, nonnullis locis a Tacito usurpatur neque tamen in minoribus scriptis (Agr. 5 huc enim non pertinet: cf. d), sed primus locus inest demum in H. II. 99, 15 „odiorum invidiaeque erga Fabium Valentem admonebatur.“ H. III. 37, 7. IV. 4, 5. 44, 14. 49, 7. Ann. II. 2, 13. 71, 10. 76, 6. — Frequentissimus autem est usus praepositionis

„adversus“: primum locos minorum scriptorum afferam. Dial. 36, 13 „assidua senatus adv. plebem certamina.“ cf. Ann. II. 36, 1. 37, 26 „non, opinor, Demosthenem orationes inlustrant, quas adv. tutores suos composuit.“ Agr. 12, 4 „nec aliud adv. validissimas gentes pro nobis utilius“ et similiter 24, 15 „idque etiam adv. Britanniam profuturum“ i. e. contra Britannos, pugnantibus nobis cum Britannis“, nisi fortasse hoc loco explicare mavis „in Beziehung auf.“ Agr. 33, 9. — Ceterum in singulis de hoc usu accuratius tractandis primum afferantur loci, quibus „adversus“ refertur ad substantiva, quibus inest notio maligni et adversantis animi. Apud ceteros scriptores pro „adversus“ ferme usurpari „in“, quod nimirum apud Tacitum quoque invenitur, saepe etiam genetivum objectivum (cf. Zernial l. a. p. 79), quamquam satis notum, tamen uno exemplo illustretur: sicut enim Ann. I. 33, 5 „occultis in se patrui odiis“ et 33, 11 „novercalibus in Agrippinam stimulis“ (= odiis Ann. I. 6, 12. XII. 2, 4). XV. 64, 1. H. I. 72, 9 „odium Neronis.“ 72, 16. III. 45, 3. Ann. XII. 59, 9 „odio delatoris“ aus Hass gegen XV. 44, 18. H. I. 12, 12 „etiam in Vini odium“ [1]) „um Hass gegen den Vinius zu erregen.“ H.

[1]) Sic e corrupta codicum scriptura „etiam vinio diū“ scribendum censeo. Quibus de verbis quae Woelfflinus, qui „etiam T. Vini odio“ scribere vult, in Philol. XXVII. 128 disputavit, probari non possunt. Habet vero hoc loco praepositio „in“ vim enuntiati, quo finis sive consilium continetur, ita ut verba significent „ut odium in Vinium fieret“, id quod etsi Vinius jam invisus erat, bene ad sensum quadrat. Praenomen „Titi“, quod quousque vidi apud omnes editores exstat, in ordinem verborum inserere non opus est e saepe usitato more Taciteo unum tantum nomen personae ponendi, si antea (cf. 11, 14) nomen accurate allatum est. Alia est ratio in c. 13, 1, quo loco tamen non cum Halmio, Heraeo scribere vis „et“, quum haec particula, ut nobiscum in scholis E. de Leutsch, vir doctissimus, communicavit, saepius a Tacito omittatur, si singula verba ita distincte inter se sunt

II. 8, 17 „odio praesentium“ legitur, sic H. I. 1, 9 „odio adv. dominantes.“ H. V. 5, 5 „hostile adv. omnes alios odium.“ Ann. II. 56, 4 „adv. Romanos odio et *in* Parthum invidia.“ III. 32, 5. IV. 29, 10. XIII. 37, 11. XV. 52, 17. 68, 12. — Atque ut e. g. Ann. I. 41, 12. II. 56, 4 „invidia in alqm.“ legitur, sic Hist. II. 60, 3. XIV. 18, 9. XVI. 18, 13 „adv. alqm.“ H. II. 66, 7 „ob veterem adv. quartadecumanos discordiam.“ cf. Ann. IV. 32, 6. XII. 44, 16. XV. 2, 17. — H. I. 84, 13. Ann. III. 14, 3 „ne contumelias quidem adv. imperatorem infitiari poterat.“ Ann. V. 5, 1 „probra adv. alqm.“ XIII. 1, 14 „jurgia adv. Agrippinam.“ — III. 24, 20 „offensiones adv. alqm.“ H. IV. 3, 3. Ann. IV. 42, 12 „inclementia adv. reos.“ — Atque sic de quocunque hostili conatu: H. I. 51, 16 „instigatrix adv. Galbianos“ „wider.“ 30, 15 „Legionum seditio adv. duces suos.“ 84, 3. — Ann. IV. 36, 6. XIII. 25, 7 „augebanturque injuriae (Insulten) adv. viros feminasque insignes.“ IV. 67, 19. VI. 8, 29 „insidiae in rem publicam, consilia caedis adv. imperatorem puniantur.“ XI. 19, 9. — Ann. II. 55, 6 „hos esse Mithridatis adv. Galbam, Antonii adv. divum Augustum socios.“ — Huc quoque pertinent loci Ann. II. 85, 6 et XIII. 42, 7 „repetitum credebatur senatus consultum poenaque Cinciae legis adv. eos, qui pretio causas oravissent.“ III. 52, 2.

β) refertur ad *adjectiva* uno loco: H. III. 73, 16.

γ) ad *verba:* H. I. 41, 5. IV. 54, 14 „primores Galliarum ab Othone adv. Vitellium missos“: quae verba recte jam interpretatus est Waltherus: „prim. Gall.“ intellige in urbe praesentes et inde „ab Othone missos“ ut populares suos „adversus Vitellium“ concitarent. H. II. 71, 13 „ingratus principi ut adv. Neronem ausus.“ cf. XIV. 7, 14. H. II. 76, 12. IV. 17, 28 „dum alii Vespa-

---

sejuncta, ut vocula „et“ praetermissa nulla sententiarum obscuritas exsistat. cf. H. II. 95, 15.

sianum alii Vitellium foveant, patere locum adv. utrumque" habe man freies Spiel wider Beide. IV. 64, 20. Ann. I. 23, 19. 30, 8. 65, 20. IV. 51, 5. XIII. 55, 17. — II. 44, 5. 46, 21. 59, 14 „adv. ingentes exercitus" ungeheuren Heeren gegenüber, i. e. ein Gegner für gewaltige Heere. — Ann. I. 69, 10 „nec adv. externos militum studia quaeri." II. 43, 12: „Piso civili bello resurgentes in Africa partes acerrimo ministerio adv. Caesarem juvit" i. e. wider. — II. 74, 8. IV. 59, 12. XV. 20, 14. VI. 42, 6. XII. 10, 5. XII. 4, 7 „accipiendis adv. generum suspitionibus — promptior." — A. I. 77, 11. III. 27, 1. — IV. 21, 8 „Pisonem secreti sermonis incusavit adv. majestatem habiti." VI. 7, 2. — XIII. 28, 14. XIV. 48, 3.

Atque sic fere semper hac praepositione Tacitus utitur apud verba, quae ad rem militarem bellumque spectant, ita ut usus similium praepositionum rarissimus sit, quum „in" nonnullis locis reperiatur ut A. I. 10, 10 „arma, quae in Antonium acceperit, contra rem publicam versa" et „contra" hisce tantum locis H. IV. 17, 11. Ann. I. 10, 10. XI. 16, 23. Sed praepositio „adversus" invenitur conjuncta α) cum substantivis: Agr. 13, 11: „ingentes adv. Germaniam (belli) conatus." — *bellum* adv. alqm. H. I. 53, 9. 64, 12. IV. 20, 3. 86, 5. Ann. I. 3, 25. II. 46, 11. 65, 14. IV. 23, 1. XI. 24, 28. XII. 49, 14. — H. II. 6, 9: adv. Parthos *minae*. — H. IV. 61, 1. Ann. II. 45, 9 „longa adv. nos *militia* insueverant sequi signa" = XI. 3, 4. Ann. IV. 24, 10 „pluribus adv. Tacfarinatem *expeditionibus* cognitum." H. I. 68, 4. IV. 73, 11 „*proeliis* adv. Cimbros Teutonosque." Ann. IV. 25, 12 „infensus miles memoria laborum et adv. eludentes optatae totiens *pugnae*, se quisque ultione et sanguine explebant." Nipperdeius verba „adv. elud." ab voce „laborum" post „et" cogitatione supplenda pendere ratus (u. das gegen Leute, welche derselben spotteten) ad verba „ultione et sanguine" (!) refert „optatae totiens pugnae." Sed haec

subtilius quam verius a viro doctissimo sunt excogitata. Referenda vero sunt verba „adv. elud.“, consilio summaque vi anteposita, ad „opt. tot. pugnae“, quod pendet ab „memoria“, ita ut sensus efficiatur „et memor, quotiens pugnam adv. eludentes optasset.“ Consentio igitur cum Boettichero. — β) cum *verbis:* Agr. 30, 7 „pugnis adv. alqm. *certare,* cf. H. II. 88, 3. IV. 61, 6. V. 13, 17. — H. I. 51, 11. H. I. 56, 17 *bellare* adv. alqm. XII. 62, 4. — H. I. 70, 17 „cunctatus est, num Raeticis jugis in Noricum *flecteret* adv. Petronium Urbicum.“ — H. II. 22, 5. 34, 6. — III. 51, 8 *pugnare.* H. II. 14, 8. H. IV. 18, 7 legatum *egredi* adv. hostem jubet. 33, 2 „cohortes adv. Voculam mittit.“ 79, 20 „adv. equites — secundum proelium fecit“ = A. III. 21, 18 „prosperam pugnam.“ H. IV. 25, 3 „derigere aciem.“ H. IV. 58, 4. 25, 16 *arma capere* adv. alqm. Ann. I. 36, 6 *armari* adv. alqm. A. I. 59, 9 *bellum tractare.* II. 4, 10 bellum *sumere.* XIV. 61, 14 arma. XII. 40, 13 hostilia induere. III. 38, 8 bellum adv. nos volverat. VI. 31, 5. — III. 46, 5 duci adv. alqm. — A. III. 73, 15. IV. 46, 7 adv. accolas *belligerare.* XII. 45, 4. 50, 10. XV. 13, 16.

f) Eodem modo „adversus“ ad omnem rem refertur, quae contraria est vel obvertitur vel cum aliqua re pugnat, quod nos dicimus, wider, entgegen, im Widerspruch mit. Apud Tacitum praepositio „*contra*“ huic notioni proprie inservit: D. 13, 19. H. I. 71, 1 „contra spem omnium.“ IV. 76, 16. — H. I. 77, 4. 82, 8. Ann. II. 55, 3. — H. II. 69, 14. 91, 13. 46, 12. Ann. I. 19, 9. XIV. 37, 15. III. 26, 4. 59, 6. IV. 30, 9. I. 73, 14. II. 59, 9. XIV. 17, 11. cf. XV. 2, 6. 49, 11. XVI. 28, 9. — Duobus tantum locis haec vis in praepositione „adversus“ inest: VI. 16, 2: „pecunias faenore auctitabant adv. legem dictatoris Caesaris“ et XV. 63, 2 „complectitur (Seneca) uxorem et paululum adv. praesentem fortitudinem

mollitus rogat oratque, temperaret dolori neve [1]) aeternum susciperet." Sic utique Medicei codicis lectionem secutus legendum censeo. Nonnulli autem homines docti pro „fortitudinem" scripserunt „formidinem", quod deteriores codices praebent, eo sensu ut J. Fr. Gronovio duce explicent „der augenblicklichen Furcht gegenüber, nämlich wegen des Schicksals seiner Frau" (cf. Nipp. ad h. l.). Quod sane mirum in modum dictum esset, non ad formam (cf. ad dβ), sed ad sensum respectu habito, quum Senecae, qui modo amicos ad firmitudinem revocaverat suorumque sapientiae praeceptorum commonefecerat, formido (videas praeterea hujus verbi gravitatem) tribui non possit. Contra qui probant lectionem „fortitudinem" varie explicant; non recte tamen haec verba interpretati sunt, qui (cf. Hand I. 187) fortissimam fuisse uxorem putant. Immo vero ad verba „complectitur uxorem" suppleas maestam vel lacrimas fundentem, quod de amicis quoque paulo ante dictum est et in tali rerum condicione uxori maxime consentaneum erat. Quid praeterea fortius dici potuit quam „rogat oratque"? quid antepositum summa gravitate „temperaret"? quid tandem in universum sibi velint, nisi Senecam stultum menteque captum fuisse putamus, verba: „temperaret dolori" et quae sequuntur, si mulier fortissimam sese praestabat? Denique videas enuntiatorum, quae statim sequuntur („illa *contra*" et „*tum* Seneca") oppositionem. Quae omnia si reputas, patet fortitudinem non referendam esse ad uxorem, quia quamquam postea fortissima, primo tamen non fortis erat, sed ad Senecam ipsum pertinere. Atque verba explicanda sunt: Seneca conspecta uxore et maesta quidem (ideoque eam complexus, ut solacium ei praeberet) adversus (i. e. im Widerspruch

---

[1]). Sic sine dubio cum Heinsio et Spitta „de Tac. in compon. enuntiatis ratione" p. 138 scribendum est.

mit) fortitudinem, quam habebat et modo in amicos praestiterat, paululum mollitus *erat*, id quod contra doctrinam suam et „sua ipsius praecepta sapientiae" erat. Consentio igitur cum Rothio (ad Agr. p. 238), qui tamen non ab omni parte recte judicat.

g) Denique commemorandus est is praepositionis „adversus" usus notioni inimicae maxime cognatus, quo transfertur ad defensionem, qua quis hostem aut malum qualecunque repellit aut sese tuetur [1]). Sed hac quoque in re usus praepositionis „*contra*", quae eandem habet significationem, multum apud Tacitum est infrequentior: Agr. 45, 12 „rubor, quo se contra pudorem muniebat." Ann. VI. 41, 4. XIV. 23, 14. Ann. I. 40, 2. VI. 42, 5. XIV. 2, 6. — Quod ad „adversus" attinet, cf. Hand I. p. 186, qui jam attulit Ann. XV. 64, 15 „clauso corpore adv. vim veneni" et XV. 36, 12 „sueti adv. fortuita aspectu principis refoveri" i. e. ne fortuita animum supprimerent. — Eadem ratione legitur Dial. 4, 5 defendere alqd. adv. alqm. H. III. 78, 14 tueri. H. II. 60, 16. Ann. III. 46, 13. 60, 6. IV. 5, 12 protegere. XIII. 52, 3. XIV. 62, 10 subvenire. Ann. IV. 66, 1 „studia procerum adv. casus solacium tulerant" atque sim. G. 16, 5 „suam quisque domum spatio circumdat, adv. casus ignis remedium." H. III. 34, 4 „Condita Cremona, propugnaculum adv. Gallos." XII. 32, 13 „colonia deducitur — subsidium adv. rebelles." XV. 27, 6 „documento adv. superbiam" zur Warnung gegen —. A. I. 57, 2. 64, 20 „deliguntur legiones — primani ducendum ad agmen, vicesimanus adv. secuturos" zur Abwehr —. Eodem sensu „firmare" saepius cum „adversus" conjungitur: Agr. 22, 8 „adv. moras obsidionis annuis copiis firma-

---

[1]) Occasione oblata hoc loco monuerim, *semel* tantum (Ann. II. 37, 20) apud Tacitum legi praepositionem „*a*", de cujus notione cf. Hand I. 40.

bantur (castella sc.) i. e. als Schutzmittel gegen vel ad diuturnam obsidionem tolerandam. H. IV. 22, 1. V. 12, 6. Ann. IV. 39, 15. II. 57, 5: „convenere firmato vultu, Piso adv. metum, Germanicus ne minari crederetur" i. e. ne quicquam metuere crederetur. XV. 10, 5. 59, 18 „animum adv. suprema firmabat" i. e. ne deterreret a morte sibi ipsi inferenda. — H. I. 72, 14 „pessimus quisque adv. publicum odium privatam gratiam praeparat" i. e. als Schutzmittel gegen den öffentlichen Hass. — H. II. 12, 11. XV. 59, 6 „nihil adv. haec Neroni provisum." H. II. 82, 17. III. 6, 9. IV. 22, 7: „paucis diebus absumpta sunt, quae adv. necessitates in longum suffecissent" i. e. als Schutz wider die Nothdurft. A. I. 35, 8 „alia ex necessitate aut adv. otium castrorum quaeruntur" wider i. e. um die Langweile der Soldaten im Lager zu vermeiden. A. II. 29, 2. XIV. 29, 14 „naves fabricatur plano alveo adv. breve et incertum" i. e. zum Schutz gegen das seichte und unsichere Ufer. XV. 62, 9.

Idem est usus, quo haec praepositio conjungitur cum adjectivis ut *firmus, invictus* et quae sunt similia. Praepositio „*contra*" idem significans (Hand I. 116) apud Tacitum non legitur. Sed praepositionis „adversus" usus, qui eodem modo apud Sallustium, Senecam, Suetonium (cf. Hand I. 185. Nipperd. ad Ann. XII. 54. cf. Sall. Jug. 89. 105. 101) invenitur, nondum est admissus in minoribus scriptis ibique loco, qui est in Agr. 35, 15 „firmus adversis" eadem ratione dicitur atque H. II. 82, 12 Vespasianus egregie firmus adv. militarem gloriam. H. IV. 5, 7 firmior adv. fortuita. Ann. III. 18, 5 firmus adv. pecuniam. H. III. 63, 8 validus adv. contumaciam. H. IV. 5, 15 constans adv. metus. XV. 21, 11 invictus adv. gratiam. — H. I. 79, 16 tegimen — adv. ictus impenetrabile. XII. 16, 8 moenia adv. inrumpentes invalida.

In eis, quae modo de praepositione „adversus“ disputavi, *omnes* quoque locos praepositionum „erga“ et „contra“ a me esse allatos non omiserim referre: tria tamen exempla praepositionis „contra“ errore quodam sunt omissa: XII. 59, 9. XIV. 43, 2. 44, 18. Deinde lectores commemoratos volo, a me e scripta dissertatione, quum typis exprimendam traderem, nonnulla esse praetermissa, ne hic libellus nimis accresceret et quia confidebam fore ut qui hoc opusculum perlegerint, ipsi perfacile ea suis ingeniis adderent, quae forte uberiore disquisitione digna viderentur. Easdem ob causas e locorum numero, quos ut spurios emendandos curavi, quattuor tantum *breviter* afferam:

In Dial. c. 3 in codicibus haec inveniuntur verba: „Tum ille leges tu (‘*tu*’ om. solus Farnes.) quid Maternus sibi debuerit et agnosces quae audisti.“ Difficultatem, quae in his verbis inest, inde a Mureto multi interpretes senserunt: sed *omnes* quos protulerunt emendationum conatus eo vitio laborant, quod nimis a codicum vestigiis absunt. Nobis depravatum esse videtur solum verbum, quod est „leges“ atque scribendum putamus [1]): „Tum ille intelleges tu, quid Maternus etc. Facilis sane emendatio, quum haud aegre cognoscatur, quomodo ex verbis „*ille* inte*lle*ges“ librarii errore exsistere potuerit „ille leges.“

In Dial. c. 7 codices exhibent: „qui non inlustres et in urbe non solum apud . . .“ Vario modo haec verba sanare studuerunt homines docti, quorum alii (Halm, Ritter) lacunam statuendam, alii adjectivum post verbum „et“ (Ekstein, Walther, Hess) supplendum esse censuere, alii alia ratione emendarunt. Mihi mendum latere videtur in ipsis verbis „in urbe“, non solum ea de causa, quod scriptor Dialogi, ut alii jam satis mo-

---

1) Non omiserim referre, Sauppium, praeceptorem carissimum, mecum communicasse se quoque multo abhinc tempore eandem conjecturam fecisse.

nuerunt, synonyma consociare solet, sed etiam quod verba „in urbe“ cum difficultatem ipsam huic loco afferunt, tum prorsus sunt superflua eaque omissa nemo requiret, quod non tam totum enunciatum probat quam verba „tunicatus *hic* populus“ et quae opposita sunt „advenae quoque etc.“ Accedit quod cod. Farnes. haec verba omisit. Quibus causis commotus scribendum censeo „Quinam inlustres et incliti non solum apud — – “, quum litteram „u“ male scriptam fuisse putem. Verbum autem „inclitus“ seu „inclutus“ (editores valde discrepant) apud Tacitum satis frequens: G. 41 (Kritz „i“, Halm „u“). H. II. 2. cf. Rup. (III. 44). IV. 61. 83. 84. V. 2. 7. Ann. II. 53. VI. 37. cet.

Agric. 16 in cod. *Γ* et *Δ* legitur: „et ut suae *eiusque* injuriae ultor.“ Quamquam Kritzius in nota ad h. l. „*cu*iusque“ certam Wexii emendationem esse contendit, tamen ea ipsa de causa, quod haec conjectura, ut ipsi fatentur et docent, „variam eamque incertam“ admittit explicationem, permoveor, ut non adeo certam firmamque esse putem. Scribendum nobis videtur „*q*uisque“, quod quomodo in „eiusque“ abierit certe adeo facile, ne dicam facilius intellegitur ac „cuiusque.“ Quod si minus concedas, videas quam certa verborum structura hac emendatione efficiatur, quum verbum, quod est „ut“ ad „quisque“ tantum referri possit: quae verba, quae germaniee reddas „und wie ein Jeder, der eigenes Unrecht zu rächen hat“, non ita tamen interpretanda sunt, ut contra Puteolani conjecturam a Wexio (proleg. p. 36) factum est, sed si ad Paulinum retuleris, cogites de injuria, quae ei, ut eo tempore legato, hac ipsa defectione illata est.

Ann. XIII. 44 in cod. inest „et quastim census.“ Jac. Gronovius „et quasi incensus“ legi voluit, J. Bekkerus „ex qua incensus.“ Scribendum proponimus „et quasi raptim incensus.“